QUID S. AMBROSIUS DE SS. EUCHARISTIA DOCUERIT, INQUIRITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS DOGMATICA
QUAM SCRIPSIT ET REVERENDISSIMI
THEOLOGORUM CATHOLICORUM ORDINIS IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
CONSENSU ET AUCTORITATE

PRO GRADU DOCTORIS SS. THEOLOGIAE RITE
CAPESSENDO DIE IV. M. IULII A. MCMX HORA XII
IN AULA MUSICORUM PUBLICE DEFENDET

STANISLAUS LISIECKI,
PRESBYTER DIOEC. POSNANIENSIS.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT
LEONARDUS KLOETERS ET PAULUS WINKLER,
CAPELLANI AD ECCLESIAM S. HENRICI VRATISLAVIAE.

VRATISLAVIAE,
TYPIS R. NISCHKOWSKY.
MCMX.

Imprimi permittitur ab Ordine Theologorum Catholicorum
Referente Professore Dr. Iosepho Pohle.

Vratislaviae, die XVIII Iunii 1910.

Franciscus Renz,
h. t. decanus.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO, DOMINO

EDUARDO LIKOWSKI

S. THEOLOGIAE DOCTORI,

DIVINA MISERATIONE ET S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA

EPISCOPO AURELIOPOLITANO, SUFFRAGANEO POSNANIENSI,

SEDE METROPOLITANA POSNANIENSI VACANTE

VICARIO CAPITULARI ET ADMINISTRATORI GENERALI ARCHIDIOECESIS,

PRAELATO DOM. SUAE SANCTITATIS, SOLIO PONTIFICIO ASSISTENTI,

SOCIO C. R. ACADEMIAE SCIENTIARUM CRACOVIENSIS

ETC. ETC. ETC.

SACRARUM SCIENTIARUM MUNIFICENTISSIMO

FAUTORI ET PROTECTORI

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO

Hasce Studiorum Primitias

Animo grato summaque reverentia

dedicat

Humillimus
Auctor.

Index.

Opera, quibus usus sum.

Adam K., Die Eucharistielehre des hl. Augustinus [Forschungen zur christlichen Litteratur- und Dogmengeschichte]. Paderborn 1908.

Bardenhewer O., Patrologie, 2 ed. Freiburg i. Br. 1901.

Batiffol P., Études d'histoire et de théologie positive, deuxième serie, L'Eucharistie, 3 éd. Paris 1906.

Baumstark A., Die Anaphora von Thmuis und ihre Überarbeitung durch den hl. Serapion. Römische Quartalschrift 1904.

Baunard A., Histoire de Saint Ambroise, 12 ed. Paris 1872.

Béguinot, La très sainte Eucharistie, tom I. Paris 1902.

Bellarminus R., Controversiae de sacramento Eucharistiae. Ingolstadii 1599.

Binterim A. J., Denkwürdigkeiten der katholischen Kirche, tom. I. II. Mainz 1825.

Bisping A., Erklärung des 1. Briefes an die Korinther, 3 ed. Münster 1883.

Böhringer Fr. et B., Die alte Kirche, 2 ed. Stuttgart 1877.

Brück H., Lehrbuch der Kirchengeschichte, 6 ed. Mainz 1893.

Chardon, L'ange et le prêtre. Paris 1899.

Drews, in Realenzyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, Art. Epiklese ed. A. Hauck, tom. V³. Leipzig 1898.

Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis, digessit Henschel, tom. II. Paris 1842.

Ebrard A., Abendmahl, tom. I. Frankfurt a. M. 1845.

Förster Th., Ambrosius, Bischof von Mailand. Halle 1884.

— Realenzyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, tom. I³. Art. Ambrosius. Leipzig 1898.

Franzelin J., De SS. Eucharistia, 4 ed. Romae 1887.

Freund W., Wörterbuch der lat. Sprache, tom. II. Leipzig 1844.

Georges K. E., Lat.-deutsches Handwörterbuch, tom. I. Leipzig 1879.

Harduin J., Acta Conciliorum, tom. IX. Paris 1704.

Harnack A., Lehrbuch der Dogmengeschichte, tom. II, ed 4. Freiburg und Leipzig 1909; tom. III, ed. 4. Freiburg 1910.

Heinrich-Gutberlet, Dogmatische Theologie, tom. IX. Mainz 1901.

Henke C., Die katholische Lehre über die Konsekrationsworte der hl. Eucharistie. Trier 1850.

Hergenröther J., Kirchengeschichte, ed. J. P. Kirsch, tom. I ed. 4. Freiburg 1902.

Hoppe L. A., Die Epiklesis der griechischen und orientalischen Liturgien. Schaffhausen 1864.

Hurter H., SS. Patrum opuscula selecta, tom. VII, XXXVII, XXXVIII. Oeniponti 1878.

Ihm M., Studia Ambrosiana. Lipsiae 1889.

Kahnis K., Die Lehre vom Abendmahle. Leipzig 1851.

Kellner J., Ambrosius als Erklärer des A. Testamentes. Regensburg 1893.

Kellner K. A., Heortologie, 2 ed. Freiburg i. Br. 1906.

Krawutzcky A., Hedwigsblatt, Des hl. Ambrosius, des Bischofs von Mailand, Katechese über das Vaterunser. Breslau 1874.

Leibnitz G. G., Opera theologica, Genevae 1768.

— Systema theologicum, edidit C. Haas. Tubingae 1860.

Liebermann Fr. L., Institutiones theologicae tom. IV. Moguntiae 1824.

Loofs Fr., Dogmengeschichte, 4 ed. Halle a. S. 1906.

— Realenzyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, tom. I et V. Leipzig 1896—1898.

Martène E., De antiquis ecclesiae ritibus, tom. I. Bassani 1783.

Migne J. P., Patrologiae cursus completus, [Parisiis 1845] Praeter S. Ambrosii scripta adhibuimus: Patr. Gr. tom. 6 (S. Justin. M.), tom. 10 (S. Hippolyt., S. Dionys. Alex.), tom. 12 et 13 (Origenes), tom. 31 (S. Basil.), tom. 33 (S. Cyrill. Hier.), tom. 59 (S. Joan. Chrysost.), tom. 83 (Theodor. Cyr.); Patr. Lat. tom. 2 (Tertull.), tom. 4 (S. Cyprian.), tom. 27 (S. Hieronym.), tom. 33. 35. 38 (S. Augustin.), tom. 120 (Paschas. Radb.), tom. 149 (Guitmund.), tom. 158 (S. Anselm.).

Münscher W., Handbuch der christlichen Dogmengeschichte, tom. IV. Marburg 1809.

Neander A., Christliche Dogmengeschichte, I pars. Berlin 1857.

Niederhuber J., Die Lehre des hl. Ambrosius vom Reiche Gottes auf Erden. Mainz 1904.

— Die Eschatologie des hl. Ambrosius. Paderborn 1907.

Nitzsch Fr., Dogmengeschichte, I pars. Berlin 1870.

Oswald J. H., Die dogmatische Lehre von den hl. Sakramenten der kathol. Kirche, tom. I, ed. 5. Münster 1894.

Perpétuité de la foi de l'Église catholique touchant l'Eucharistie, tom. IV. Paris 1704.

Perrone J., Praelectiones dogmaticae, tom. VI. Lovanii 1841.

Pohle J., Lehrbuch der Dogmatik, tom. II ed. 4, Paderborn 1909; tom. III ed. 4; Paderborn 1910.

Probst F., Liturgie des vierten Jahrhunderts und deren Reform. Münster 1893.

Pruner J., Die Theologie des hl. Ambrosius. Eichstätt 1862.

Quicherat L., Thesaurus poëticus linguae Latinae. Paris 1881.

Rauschen G., Eucharistie und Bußsakrament in den ersten sechs Jahrhunderten der Kirche. Freiburg 1908.

Renz Fr., Die Geschichte des Meßopfer-Begriffs, tom. I. Freising 1901.

— Opfercharakter der Eucharistie nach der Lehre der Väter und Kirchenschriftsteller der ersten drei Jahrhunderte. Paderborn 1892.

Rückert, Abendmahl. Leipzig 1856.

Schanz P., Sakramentenlehre. Freiburg i. Br. 1893.

— Die Kirche und die Sakramente [Theologische Quartalschrift]. Tübingen 1891.

Schermann Th., Die griechischen Quellen des hl. Ambrosius in libris III De Spiritu S. München 1902.

Schmid B., Grundlinien der Patrologie, 6 ed. Freiburg i. Br. 1904.

Schmitt V., Die Verheißung der Eucharistie (Jo. VI) bei den Antiochenern Cyrillus von Jerusalem und Johannes Chrysostomus. Würzburg 1903.

Schöpfer Aem., Geschichte des alten Testamentes, 4 ed. Brixen 1906.

Schulte Fr., [Bibliothek der Kirchenväter, ed. V. Thalhofer] tom. I. Kempten 1871.

Siegel C., Handbuch der christlich-kirchlichen Altertümer, tom. I. Leipzig 1836.

Silbert J. P., Das Leben des hl. Ambrosius. Wien 1841.

Struckmann A., Die Gegenwart Christi in der hl. Eucharistie nach den schriftlichen Quellen der vornizäischen Zeit [Theologische Studien der Leogesellschaft]. Wien 1905.

Suarez Fr., De Eucharistia, ed. C. Berton. Paris 1872.

Terentii Afri Comoediae, recensuit C. Dziatzko. Lipsiae 1884.

Thalhofer V., Erklärung der Psalmen, ed. 6 a P. Schmalzl confecta. Regensburg 1895.

Theologia Wirceburgensis, tom. IX. Parisiis 1880.

S. Thomae Aquin., Summa theologica, 2 ed. Romae 1894.

Thomasius G., Die Dogmengeschichte der alten Kirche. Erlangen 1874.

Weitenauer Ign., Biblia Sacra, Augustae Vind. et Friburgi Brisg. 1773.

Wetzer und Weltes Kirchenlexikon, 2 ed. tom. IV, V, VI, VIII. Freiburg i. Br. 1899.

Zöckler O., Handbuch der theologischen Wissenschaften, tom. II. Nördlingen 1889.

Prolegomenon.

„De praecipuo nunc legis novae Sacramento agendum est, quo nihil est in religione Christiana sanctius, nihil excellentius. In hoc inenarrabili mysterio divitias omnes sui erga nos amoris effudit Salvator optimus; quoniam non fontem tantum gratiarum hic nobis aperuit, sicut in ceteris Sacramentis, sed seipsum nobis inserit intimius ac propria nos carne pascit et confortat . . . Superfluum esset humana ratione metiri velle tanti amoris Sacramentum. Num definiet paupercula ratio, quid possit omnipotentia efficere, quid possit suadere bonorum infinita dilectio! Divinum prorsus hoc opus est, ac plus hic proficit simplex fides et purus a labe animus quam curiosa et plena temeritatis investigatio."

Hisce pulcherrimis et elatis verbis doctissimus vir Liebermann[1]) tractatum suum de S. Eucharistia exorditur merito dicens S. Eucharistiam mysterium esse, quod ratione humana comprehendi nullatenus possit. Et sane, quis est qui „Eucharistiam Sacramentorum omnium praecipuum ac nobilissimum, immo et totius religionis Christianae compendium"[2]), „Augustissimum Sacramentum, quod inter alia sacramenta solis instar in planetarum suarum medio suo splendore praeeminet"[3]) plene intellegere ac luce nativa illustrare audeat?

Ex historia dogmatum constat complures Patres Ecclesiae, inter quos S. Joannes Chrysostomus et S. Cyrillus Hieroso-

---

1) Fr. Leopoldus Br. Liebermann, Institutiones theologicae, tom. IV (Moguntiae 1824) p. 416 sq.

2) Joannes Perrone, Praelectiones theologicae, tom. VI (Lovanii 1841) p. 136.

3) Theologia Wirceburgensis, tom. IX (Parisiis 1880) p. 288.

lymitanus[1]) praeeminent, hac de re copiose tractavisse. Sed cum alii viri eruditi iam dudum hos duos Doctores testes adhibuerint, ut eruerent quid illa aetate Ecclesiae Constantinopolitana et Hierosolymitana de re eucharistica senserint, defuit qui in fidem provinciae Mediolanensis paulo diligentius inquisierit. Nonne igitur scire concupiscimus quid S. Ambrosius de S. Eucharistia docuerit, qui licet inter alia studia iurisprudentiae Romae vacavisset[2]) tamen theologiae omnino imperitus erat, unde episcopus factus multo magis discere quam docere voluit[3])? Nonne operae pretium est cognoscere argumentationem viri, qui adhuc catechumenus munus episcopale invitus suscepit[4]); qui in Arianorum insidiis devincendis[5]), in legationibus suscipiendis[6]), in epistolarum commercio cum aliis episcopis frequentissimo[7]) permultum temporis consumpsit? An S. Ambrosius Ecclesiae doctrinam ad SS. Sacramentum pertinentem non recte illustravit?

In re ipsa tractanda infra videbimus, quantum a vero aberrent qui ita crediderint. Interim nonnulla externa momenta circa hanc materiam perpendamus, ex quibus liceat conicere, eum doctrinam eucharisticam accurate tradidisse.

---

[1]) Val. Schmitt, Die Verheißung der Eucharistie (Jo. VI) bei den Antiochenern, Cyrillus von Jerusalem und Johannes Chrysostomus (Würzburg 1903).

[2]) Cf. A. Baunard, Histoire de Saint Ambroise, 12 éd. (Paris 1872) p. 14 sqq.

[3]) Lib. I De officiis ministrorum c. I: „Ego enim raptus de tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium, docere vos coepi quod ipse non didici. Itaque factum est, ut prius docere inciperem quam discere. Discendum igitur mihi simul et docendum est, quoniam non vacavit antea discere." Migne, Patrologia Latina 16, 23. Adi etiam lib. 6 De sacramentis c. 5 n. 26. Ibid. 16, 462.

[4]) Epist. 63, 65: „Quam resistebam, ne ordinarer! Postremo cum cogerer, saltem ordinatio prolataretur! Sed non valuit praescriptio, praevaluit impressio." Ibid. 16, 1073. Vide etiam lib. 2 De poenitentia c. 8. Ibid. 16, 432, necnon Vitam S. Ambrosii a Paulino conscriptam. Ibid. 16, 29 n. 7.

[5]) S. Hieronymus († 420) in suo Chronico: „Post Auxentii seram mortem Mediolani Ambrosio constituto omnis ad fidem rectam Italia convertitur." Ibid. 27, 697 n. 11.

[6]) Consule Max. Ihm, Studia Ambrosiana (Lipsiae 1889), p. 9.

[7]) Epist. 23, Migne, Patr. Lat. 16, 882. Cf. Vitam S. Ambrosii, Migne, Patr. Lat. 14, 94.

1. S. Episcopus, cum rerum theologicarum paene ignarus esset, Patribus scriptoribusque praecipue Graecis, e. gr. Origene, S. Hippolyto, S. Dionysio Magno, S. Basilio summo studio utebatur. Neque tamen sine suo iudicio eorum sequebatur vestigia, sed saepius ad suum arbitrium, immo interdum ab illis recedens dogmata religionis christianae proponebat[1]. Quorum ex scriptis etiam methodum, quam „allegoriam“ vocant, didicit eamque saepissime, praesertim cum libros V. Testamenti interpretabatur, adhibuit. Quoties allegorice loquebatur, vix ullam praetermisit occasionem quin S. Eucharistiae data occasione mentionem faceret; sic e. gr. „rosa rubei coloris“ statim sanguinem Jesu Christi in S. Eucharistia

---

[1]) S. Ambrosium a Graecis doctrinam ecclesiasticam esse mutuatum ab his discimus auctoribus: Editores Benedictini, Ibid. 14, 73. O. Bardenhewer, Patrologie, 2 ed. (Freiburg 1901) p. 379. P. Schmid O. S. B., Grundlinien der Patrologie, 6 ed. (Freiburg 1904) p. 148 sqq. J. Niederhuber, Die Lehre des hl. Ambrosius vom Reiche Gottes auf Erden (Mainz 1904) p. IX. J. Niederhuber, Die Eschatologie des hl. Ambrosius (Paderborn 1907) p. 47. A. Baunard, l. c. p. 63: „Excepté saint Hilaire, l'Occident n'avait pas encore donné ses grands docteurs. C'était en Orient que se trouvaient les trésors de l'érudition sacrée. La connaissance du grec permit à Ambroise d'y puiser à pleines mains.“ Auctor deinde affert Judaeum Philonem, Origenem, S. Hippolytum, S. Basilium. De S. Ambrosii epistolarum commercio cum S. Basilio habito vide Baunard, l. c. p. 43—50, necnon J. P. Silbert, Das Leben des hl. Ambrosius (Wien 1841), p. 23 sq. A. Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte, 4 ed. (Tübingen 1910), tom. III p. 28 S. Ambrosium vocat; Griechenschüler, Schüler der Kapadozier“. Cf. ibid. p. 29: „Der griechisch gebildete Exeget und Theologe“ et paucis intermissis: „Seine Erziehung, sein bischöflicher Stuhl in Mailand, der arianische und apollinaristische Kampf, in den er eintreten mußte, wiesen ihn auf die griechische theologische Literatur“. Fr. Loofs, Dogmengeschichte, 4 ed. (Halle 1906) p. 255, 192, 368. Fr. et P. Böhringer, Die alte Kirche, 2 ed. (Stuttgart 1877) p. 60. Th. Schermann, Die griechischen Quellen des hl. Ambrosius (München 1902). Th. Förster, Ambrosius, Bischof von Mailand (Halle 1884) p. 102 sqq. Cf. eundem auctorem in Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, tom. I³ Art. Ambrosius. J. Kellner, Ambrosius, Bischof von Mailand, als Erklärer des A. Testamentes (Regensburg 1893) p. 38, 48 sq., 73 sq., 94 sq. Quomodo S. Ambrosius ex Graecis hauserit, vide eius Vitam (Migne, Patr. Lat. 14, 82). Fr. Nitzsch, Grundriß der christlichen Dogmengeschichte (Berlin 1870) pp. 171, 295, 329. O. Zöckler, Handbuch der theol. Wissenschaften (Nördlingen 1889), vol. II p. 471.

latentem in memoriam ei reducit; vel cum de conviviis a divitibus hominibus apparatis disputat, facere non potest quin eucharistici convivii delicias i. e. S. Communionem describat[1]).

2. Quo in labore a Simpliciano[2]) presbytero, amico suo ac familiari, adiutus est, qui Damasi papae iussu ad S. Ambrosium in doctrina ecclesiastica instruendum Mediolanum venerat.

3. Praecipuo amore atque studio neophytos[3]) i. e. recens baptizatos prosequebatur, qui octavo die post baptismum ad primam S. Communionem a S. Antistite praeparabantur. Quorum quam optime instituendorum causa summa cum diligentia, ut facile patet, in theologicas disciplinas eum incumbere oportebat.

4. Postremo locus altissimus, quem in societate christiana obtinebat, nimirum ordo episcopalis, cum avida discendi recteque sentiendi voluntate coniunctus, pro sana eius theologica doctrina satis spondet; quapropter merito cum S. Joanne Chrysostomo et S. Cyrillo Hierosolymitano comparari potest, qui S. Eucharistiae testes clarissimi habentur et apte cum S. Ambrosio uno ore praedicantur[4]).

Attamen ne exspectes doctrinam eius eucharisticam in systema quoddam redactam inveniri, cum de S. Eucharistia nonnisi data occasione disputaverit, sive neophytis eam proponebat sive verba Sacrae Scripturae allegorice explanabat. Cum enim errores circa hoc mysterium tum temporis nusquam grassarentur, non erat cur ex officio id defenderet. Nihilominus

---

[1]) Cf. Baunard, l. c. p. 62: „L'interprétation de la sainte Écriture partageait les docteurs en deux écoles distinctes, dont l'une commentait le texte dans son sens littéral, et dont l'autre s'attachait au sens allégorique de la divine parole. Ambroise préféra souvent la seconde de ces méthodes".

[2]) Baunard, l. c. p. 66 sqq., necnon A. J. Binterim, Denkwürdigkeiten der kathol. Kirche, I, 2 (Mainz 1825) p. 419.

[3]) Consule Admonitionem in libros De sacramentis, necnon Liebermann, l. c. p. 354 sqq.

[4]) Batiffol, Études d'histoire et de théologie positive, deuxième série, 3 éd. (Paris 1906) p. 285: „Le De mysteriis qui porte le nom de saint Ambroise, est une véritable catéchèse mystagogique, à rapprocher de celle de saint Cyrille de Jérusalem, et dont il est facile de tirer un enseignement très explicite sur l'eucharistie." Cf. Fr. Loofs, Realenzyklopädie für protestantische Theologie und Kirche (Leipzig 1898), vol. I³. Artikel: Abendmahl p. 60 sqq.

inquirenti quid de S. Eucharistia senserit haud facile effugiet praeclara quaedam perspicuitas, qua accomodate ad intellegentiam eorum qui eum audiebant verba faceret. Quae autem in eius scriptis vel obscurius vel ambigue dicta videantur, ea adhibita totius contextus face in meliori lumine collocantur, unde difficultates ex eis petitae plerumque evanescunt.

Quae cum ita sint, a pervulgata tractationis S. Eucharistiae partitione non esse cur recedamus arbitramur. Quapropter tribus capitibus totam argumentationem complectemur ostendentes S. Ambrosium docuisse

I. realem Jesu Christi in S. Eucharistia praesentiam,
II. verum animae cibum, qui in S. Eucharistia contineatur,
III. Missae sacrificium.

Totius materiae distributione facta restat, ut circa sex libros, qui De sacramentis[1]) inscribuntur, pauca subiciamus, quia et magnam copiam eorum quae ad S. Eucharistiam spectant continent et a multis S. Ambrosio denegandi censentur. Quodsi a Protestantibus[2]) omnino reiciuntur, nil mirum, quia tam diserta argumenta fidei ecclesiae catholicae pro vera Jesu Christi praesentia in iis inveniuntur, ut non possint facere quin eos a S. Ambrosio abiudicent. Neque vero desunt catholici[3])

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 349—386.

[2]) M. Ihm, l. c. p. 70 sq., hos libros in numero „Scriptorum iniuria Ambrosio tributorum" collocat. Cf. Th. Förster, l. c. pp. 93, 170, 360. Adi etiam Loofs, Realenzyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, tom. V³, Art. Abendmahl II (Leipzig 1898). Thomasius, Die Dogmengeschichte der alten Kirche (Erlangen 1874) pp. 423, 586. Böhringer, l. c., eorum ne mentionem quidem facit.

[3]) Huc spectant vel ipsi editores Maurini, qui in Praefatione rationes afferunt cur libros citatos S. Ambrosio denegent. Nihilominus ob communem, ut aiunt, consensum, quo S. Episcopo tribui solent, necnon ob easdem atque in libro De mysteriis, qui certe ab eo conscriptus sit, sententias hos libros inter scripta S. Ambrosii collocant. Migne, Patr. Lat. 16, 409—418. H. Hurter S. J., Sanctorum patrum opuscula selecta, vol. 37 (Oeniponti 1878) p. 2, dicit se in sua editione eos praeterire noluisse, cum essent „magnae auctoritatis penes theologos scholae" et „cum in iis revera doctrinae catholicae de sacramentis capita nitide proponerentur". L. A. Hoppe, Die Epiklesis der griechischen und orientalischen Liturgieen (Schaffhausen 1864) p. 92, dicit: „Die fälschlich dem hl. Ambrosius zugeschriebene Schrift De sacramentis." Batiffol, l. c. p. 294 sqq., auctorem appellat „un compilateur" atque affirmat eum

auctores iique gravissimi qui vel dubii haerent vel citatos libros S. Episcopo adscribere omnino renuunt.

Quod ad nos quidem attinet laudatis libris optimo iure inniti nos posse putamus, quam assertionem hisce argumentis comprobamus:

Antiquis temporibus consuetudo vigebat, ut clarorum virorum orationes publice habitae a notariis tachygraphis exciperentur et in chartam proicerentur eoque modo saepe saepius inconsulto auctore evulgarentur.[1] Quaeritur an etiam in libris qui De sacramentis inscribuntur id fortasse acciderit. In ipsis laudatis libris id exemplo comprobatum esse videtur. Lib. enim 4 De sacramentis c. 6 n. 29 S. Episcopus audientibus promittit se „crastina die" „de orationis ordine" verba facturum esse. Ait enim: „Interim et hodie quantum potuimus, explanavimus: sed crastina die sabbato et dominica de orationis ordine dicemus[2]". Quapropter sperandum erat S. Doctorem que pollicitus esset reapse exsecuturum fuisse. Attamen post allata verba gratiis Deo actis sine ulla intermissione eundem tractatum, quem modo nunc interruperat, statim persequitur disputans de Melchisedechi sacrificio. Editores enim Benedictini, ut quid tractatus immediate subsequens contineret indicarent, capiti proximo hunc titulum inscripserunt: „Primum repetit (scil. S. Ambrosius) quod iam ante dictum est sacramenti atque adeo ipsius Christi figuram in Melchisedech eiusque sacrificio praecessisse: tum duplicem causam cur aqua in calice admisceatur, in medium profert[3])." Unde apparet S. Ambrosium quae sibi proposuisset ad finem non perduxisse. Qua de causa impeditus fuerit, nostrum nunc non est inquirere. Certe vero indicavisset, si ipse propria manu tractatum suum scriptis mandavisset. Unde coniectare licet notarium quendam, cuius non erat nexui sermonum pronuntiatorum cunsulere, sed

hausisse ex libro De mysteriis, De institut. virg. S. Ambrosii, necnon ex Origenis libro De oratione. Tamen in S. Eucharistia demonstranda iis innititur. G. Rauschen, Eucharistie und Bußsakrament (Freiburg 1908) p. 97, pariter abiudicat eos a S. Ambrosio.

[1]) F. Probst, Liturgie des vierten Jahrhunderts und deren Reform (Münster 1893) p. 239.

[2]) Migne, Patr. Lat. 16, 372.

[3]) Ibid. 16, 373.

quae audivisset scribere, libros de quibus agitur memoriae tradidisse.

Aliud simile indicium exstat lib. 5 De sacramentis c. 4 n. 22, ubi S. Doctor in explicanda Oratione Dominica verba Iesu Christi (Jo. 18, 37)[1]) certe tota attuliset, si ea ipse litteris consignasset. Notarius vero, cui verba ista nota erant, ut oratorem sequi posset, fortasse propter temporis angustiam in solis primis S. Evangelii verbis scribendis acquievit. Quodsi integrum S. Scripturae locum notavisset, melius fecisset; nam ea quae continuantur referuntur quidem ad omissum textum, sed non multum valent ad eum dilucidandum[2]).

Ex ipsis igitur libris, de quibus controvertitur, probare conati sumus, cur eos S. Ambrosio adiudicandos putemus. Ceterum in memoriam reducimus quae de Editorum Benedictinorum sententia supra diximus (cf. p. 5 n. 3) et quae ipsi doctissimi Editores his complectuntur verbis: „Hoc porro liquet sex istos libros totidem conciones esse, quarum unam singulis diebus habebat auctor[3])." Utut vero res se habet, id certum est germanam eius mentem omni ex parte in iis contineri, unde eos non reiciendos putavimus.

Qua controversia sic expedita nunc rem ipsam aggrediamur. Quod ad locos ex S. Ambrosio citatos attinet, „Patrologiae

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 378. Ex Jo. 18, 37 tantummodo haec notata sunt: „Ego in hoc natus sum."

[2]) Consule hac de re A. Krawutzcky, Hedwigsblatt (Breslau 1874) p. 508.

[3]) Migne, Patr. Lat. 16, p. 417. Consule La Perpétuité de la foi de l'Eglise catholique touchant l'Eucharistie (Paris 1704), tom. IV. Table historique, p. 11, ubi rationes allatae sunt cur in libris De sacramentis vera S. Ambrosii doctrina quaerenda sit. Cf. Baunard, l. c. p. 474: „On voit par un passage d'Ambroise (auctor fortasse in mente habet locos a nobis modonunc supra citatos, ast id non indicat) qu'un notaire ou secrétaire placé près de l'ambon recueillait ses paroles, signalant même en marge les pauses et les reprises". Et O. Bardenhewer, Patrologie, 2 ed. (Freiburg 1901) p. 384, necnon J. Pohle, Lehrbuch der Dogmatik, tom. III ed. 4 (Paderborn 1910) p. 30. E contra Fr. Loofs, l. c. p. 470 n. 12: „Die These, die Schrift De sacramentis sei eine indiskrete Veröffentlichung nach den auch der Schrift De mysteriis zugrunde liegenden Predigten des Ambrosius leuchtet wenig ein".

cursu completo, Ser. Lat.", quem I. P. Migne accuravit, usi sumus. Neque tamen novissimam operum editionem, ex recensione Caroli Schenkl[1]), quatenus iam in publicum prodiit[2]), consulere neglegimus.

[1]) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum, editum consilio et impensis Academiae Litterarum Caesareae Vindobonensis (Vindobonae 1897), ex recensione Caroli Schenkl. Adhibuimus vol. 32, 1 necnon vol. 32, 2, quod utrumque Vindobonae 1897 editum est; usi insimul sumus vol. 32, 4, quod Vindobonae 1902 post auctoris mortem absolutum est ab H. Schenkl.

[2]) Ex vol. 32, 1 hauriebamus: Hexaëmeron, De Paradiso, De Cain et Abel, De Abraham, De Isaac; ex vol. 32, 2: De Patriarchis, De fuga saeculi, Apologia David altera, De Elia et ieiunio; ex vol. 32, 4: Expos. Evang. sec. Luc.

Caput I.

De reali Iesu Christi in S. Eucharistia praesentia.

Permagni momenti quaestio est an S. Ambrosius realem Jesu Christi in S. Eucharistia praesentiam docuerit, cum satis constet haeresi saeculo IX circa hoc mysterium exorta et fideles, inter quos Guitmundus[1]) eminet, doctrinae Ecclesiae defendendae causa S. Antistite Mediolanensi fidenti animo

[1]) Guitmundus, archiepiscopus Aversanus, De corporis et sanguinis Christi veritate in Eucharistia, libri tres. Qui, S. Ambrosii libro 6 De sacr. c. 1 necnon De mysteriis c. 9 fultus, contra Berengarium veram praesentiam defendit in suo libro tertio, argumentationis suae hunc faciens finem: „Vidisti plane quid nobilissimus Doctor hoc in loco de sacramentis altaris absque ullo velamine sentiat . . . Quid melius, quaeso, quid apertius dictum quaeris? Longum est si cuncta, quae ex beato Ambrosio contra Berengarium possumus adhibere testimonia disseramus.“ Migne, Patr. Lat. 149, 1472. Ibid. Guitmundus, cum „impanationem“ quam vocant, refutat, S. Episcopum adversarium esse hisce testatur: „Beatus sane Ambrosius in libro De sacram. (De myst. c. 9) de his copiose disserens, non in pane et vino corpus et sanguinem Domini latere, sed panem et vinum in corpus et sanguinem Domini commutari docuit.“ Ibidem 140, 1482. Nonnullis intermissis praeter SS. Cyprianum, Hilarium, Augustinum, Hieronymum, Gregorium etiam S. Ambrosium „ecclesiasticum auctorem“ vocat. Cf. Hurter, l. c. vol. 38 p. 3, de Guitmundo haec affirmat: „Nemo illo accuratius . . . Berengarii eiusque asseclarum varias opiniones indagavit.“ Praeter Guitmundum contra Berengarium ex S. Ambrosio hauserunt: Laufrancus, De corpore Domini adversus Berengarium Turonensem, Migne, Patr. Lat. 150, 237. Adelmann, Epistola de Eucharistiae sacramento ad Berengarium, Ibid. 143, 1289. Algerus, De sacramentis corporis et sanguinis Dominici, apud Hurter, l. c. vol. 23. Durandus, Liber de corpore et sanguine Christi contra Berengarium eiusque sectatores, Migne, Patr. Lat. 159, 1375. Gottfridus, De corpore et sanguine D. I. Christi, Ibid. 157, 213.

innixos esse et Novatores, — si Paschasium Radbertum[1]), monachum Corbeiensem, qui licet veram Jesu Christi carnem certe professus sit, tamen indicare omisit eandem in S. Eucharistia praesentem esse carnem tantummodo secundum naturam non vero secundum speciem[2]) i. e. relate ad species, sub quibus latet caro Christi in S. Eucharistia, in eorum numero habemus — eundem S. Episcopum sententiae suae testem atque auctorem ita attulisse, ut nihil aliud nisi Ecclesiae sinceram doctrinam se proponere demonstrarent[3]).

Quae cum ita sint, facile quispiam dubitet an S. Ambrosius rem, quae tantae dissensionis fuit causa, non perspicue illustraverit. Quapropter primo disseremus: De notione „sacramenti apud S. Ambrosium (§ 1 a), deinde De perspicuis pro reali praesentia Jesu Christi in SS. Mysterio probanda effatis (§ 2 a), postremo De effatis, quae primo intuitu ambigua esse videntur (§ 3 a)

§ 1. De notione „sacramenti“ apud S. Ambrosium.

Antequam quid S. Antistes de reali praesentia senserit inquirimus, cognitum atque perspectum habeamus necesse est, quid sacramentum generatim spectatum intellexerit. Etenim

---

[1]) De corpore et sanguine Domini, Migne, Patr. Lat. 120, 1267. Cf. H. Brück, Lehrbuch der Kirchengeschichte, 6 ed. (Mainz 1893) p. 332, ubi auctor exemplum statuit quomodo Paschasius ex S. Ambrosii libro De mysteriis c. 9 („Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est“) hauriens suam sententiam perperam indicaverit, addens adverbium „plane“. Adi etiam Ratramnum, De corpore et sanguine Domini (Migne, Patr. Lat. 121, 125—170), de quo Brück, l. c. p. 333, ait: „Dessen Ausdrücke sind so dunkel und unklar, daß sich seine Ansicht über die hl. Eucharistie nicht mit Bestimmtheit eruieren läßt.“

[2]) Perrone, l. c. p. 187 n. 2.

[3]) Quam dissensionem Rückert, Das Abendmahl (Leipzig 1856) p. 465, his illustrat verbis: „Wenn man sieht, wie im Abendmahlsstreite des Mittelalters die Kämpfer für die entstehende kirchliche Rechtgläubigkeit sich auf niemand lieber und zuversichtlicher berufen als auf Ambrosius, und wie dagegen die andere Partei, Ratramnus sowohl als Berengar (?), mit ebenso großer Zuversichtlichkeit ihn für den ihrigen erklären und aus ihm die andere Meinung widerlegen, so kann man, kennt man ihn noch nicht, der Vermutung nicht entgehen, es müsse das ein sehr dunkler oder mit sich selbst zwiespältiger Lehrer sein, der so nach zwei entgegengesetzten Seiten hingezogen werden kann.“

ipse neophytos, quos iam baptizatos de fidei mysteriis non celari debere existimabat, De mysteriis c. 1 n. 2 „ipsam sacramentorum rationem“[1]) data opera edocuit. Accedit quod nisi sacramenti notionem ab eo propositam recte perceperimus contingere facile potest, ut nonnulla eius effata falso interpretemur.

1. S. Ambrosius sacramenti notionem ex Graeco μυστήριον repetiit, quod „commune quiddam et vulgare esse videtur, intus autem alliquid sanctum et divinum continet, quod non licet in vulgus indicare“, ut Liebermann[2]) definit.

Hoc praecipue sensu „sacramentum“ ab eo intellectum fuisse apparet ex cautione, quam coram catechumenis adhibebat ne maturius quam par esset arcana prodere videretur. Ipse enim De mysteriis c. 1 n. 2 haec habet: „Nunc de mysteriis dicere tempus admonet atque ipsam sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse aestimaremur[3]).“

Utraque voce et sacramenti et mysterii S. Ambrosius promiscue[4]) utebatur. Sic de baptismo et confirmatione, quae antiquis temporibus nullo interposito intervallo simul conferri solebant, lib. 1 De sacram. c. 1 n. 1 ait: „De sacramentis, quae accepistis, sermonem adorior.“ Ibidem n. 2 addit: „Ergo quid egimus sabbato? Nempe apertionem: quae mysteria celebrata sunt apertionis[5]).“ Quod imprimis ad S. Eucharistiam attinet, eodem modo utramque vocem variat. De mysteriis enim c. 9 n. 52 haec habet: „Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur.“ Et in eodem capite n. 53: „Incarnationis exemplo astruamus mysterii veritatem[6]).“

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 389. [2]) l. c. p. 187.

[3]) Migne, Patr. Lat. 16, 389.

[4]) P. Schanz, Theologische Quartalschrift (Tübingen 1891) 4. Heft p. 532, variationem laudatorum vocabulorum et in S. Scriptura et apud Patres Ecclesiae in usu esse dicit: „Das mysterium fidei (I Tim. 3, 9) wechselt mit dem magnum pietatis sacramentum (3, 16) ab“; p. 540 ait: „Die Lateiner haben zunächst mit dem Worte sacramentum denselben Sinn verbunden, welchen die Griechen im Anschlusse an die hl. Schrift dem *μυστήριον* beilegten. Deshalb haben sie auch häufig das Wort mysterium beibehalten oder mit beiden Wörtern gewechselt.“

[5]) Migne, Patr. Lat. 16, 417. [6]) Ibid. 16, 407.

2. Quotnam sacramentorum mentionem facit S. Ambrosius? Invenimus apud eum certo certius baptismum, confirmationem, S. Eucharistiam, quae catechumenis Paschatis festo conferebat[1]. At vero etiam typos, signa, actiones „sacramenta" vel „mysteria" interdum appellat, ut lib. 1 De sacramentis c. 4 n. 11 disputans de mirabili Iudaeorum per mare rubrum transitu haec habet: „Miramur mysteria Iudaeorum, quae patribus nostris data sunt, primum vetustate sacramentorum, deinde sanctitate, praestantia . . . Quid praecipuum quam quod per mare transiit iudaeorum populus[2]?" Et lib. 2 De sacram. c. 2 n. 6 agens de sanatione aegri apud Probaticam piscinam (Jo. c. 5) mysterium praedicat: „Videte mysterium. Venit Dominus noster Iesus Christus ad piscinam, multi aegri iacebant. Et facile ibi multi aegri iacebant, ubi unus tantummodo curabatur[3]." Quibus ex locis apparet ex solo usu vocabulorum „sacramentum" vel „mysterium" non effici ut sermo sit de sacramentis proprie dictis quorum numerum septenarium Ecclesia definivit. Quapropter Pohle optimo iure colligit: „Aus dem Gesagten (auctor in praecedentibus in notionem sacramenti inquisivit) folgt, daß der Dogmatiker aus dem Vorkommen des Wortes sacramentum in der älteren Kirchenliteratur nicht sogleich auf die eigentliche Sakramentalität des betreffenden Ritus einen Schluß ziehen darf. Vielmehr muß beständig auf die nähere Beschreibung sowie auf den Kontext der Rede Rücksicht genommen werden[4]."

[1]) S. Ambrosius etiam „lotionem pedum" in sacramentorum numero ponere videtur, cum lib. 3 De sacram. c. 1 n. 4 ait: „Succinctus summus sacerdos pedes tibi lavit. Quod est istud mysterium?" (Migne, Patr. Lat. 16, 432.) Adi hac de re J. H. Oswald, Die dogmatische Lehre von den heil. Sakramenten, ed. 5 vol. I (Münster 1894) p. 147 sq., necnon Pohle, l. c. tom. III ed. 4 p. 29 sq. Consule etiam Hurter, l. c. vol. 37 p. 33 n. 1 et vol. 37 p. 66 n. 1.

[2]) Migne, Patr. Lat. 16, 420.

[3]) Ibid. 16, 425. Lib. 3 De sacr. c. 2 n. 11 vel ipsum S. Ioannis evangelium appellatur „mysterium": „Sanctus Ioannes, qui ultimus scripsit Evangelium, quasi necessarius requisitus et electus a Christo, maiore quadam tuba fudit aeterna mysteria. Quidquid locutus est, mysterium est." Migne, Patr. Lat. 16, 335.

[4]) l. c. vol. III p. 6. Consule Oswald, l. c. p. 28: „Handelt es sich um eigentliche Begriffserklärung (scil. sacramenti), so kann man zwar schon bei ältern Kirchenvätern, namentlich beim hl. Ambrosius,

3. Itaque videamus utrum S. Ambrosius ea, quae ad rationem sacramenti requiruntur, facto agnoverit in iis saltem sacramentis quorum usum novit necne. Et sane cum neophytos i. e. recens baptizatos instrueret, summopere nitebatur, ut bene intellegerent „sacramentorum rationem". Quam ut assequerentur, animos maxime in signum sacramentorum externum intendit docens de baptismo haec: „Quid egimus sabbato? Nempe apertionem: quae mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos et nares," (lib. 1 De sacram. c. 1. n. 2)[1]. Et ibidem lib. 2 c. 6 n. 16: „Nunc disputemus, quid sit quod dicitur baptisma. Venisti ad fontem, descendisti in eum[2])", necnon eodem loco c. 7 n. 24: „Ergo mersisti[3])", in eodem opere lib. 3. c. 1 n. 1: „Hesterno die de fonte disputavimus[4])." De mysteriis c. 3 n. 8: „Quae vidisti? Aquas utique[5])", porro n. 11: „Aqua est ergo, qua caro mergitur[6])".

Quod ad confirmationem attinet signum externum asserit esse unctionem myrrhae, lib. 3 De sacram. c. 1 n. 1 neophytos hunc in modum docens: Accipis μύρον, hoc est, unguentum super caput[7])."

Quid vero de S. Eucharistia? Eius signum externum neophytis, qui animo pendendes exclamabant: „Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam?" (De myst. c. 9 n. 50)[8]), indicat „non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit" ostendens iis elementa eucharistica i. e. panem et vinum. Et lib. 5 De sacram. c. 4 n. 24: „Dixi vobis quod ante verba Christi quod offertur panis dicitur[9])." Formam vero sacramentalem permultis docet locis, ut lib. 4 De sacram. c. 4 n. 14: Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est et cuius sermonibus? Domini Iesu[10])."

---

die Merkmale und Bedingungen des Sakramentes, wie sie die Dogmatik zurzeit aufzustellen pflegt, einzeln nachweisen, indes hat doch der hl. Augustin zuerst eine eigentliche Definition zu geben versucht."

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 417. [2]) Ibid. 16, 428. [3]) Ibid. 16, 430.
[4]) Ibid. 16, 431. [5]) Ibid. 16, 391. [6]) Ibid. 16, 392.
[7]) Ibid. 16, 431. [8]) Ibid. 16, 405. [9]) Ibid. 16, 452.
[10]) Ibid. 16, 440.

Attamen ut quam uberrimos percipiant ex sacramentis fructus, S. Antistes neophytos, qui curiosi ac nova videndi cupidi erant, praemonet ne satis habeant externas caeremonias oculis aspicere, sed ut quod iis significetur mente intellegere studeant. Dicit enim De mysteriis c. 2 n. 6: „Vidisti illic levitam, vidisti sacerdotem, vidisti summum sacerdotem. Noli considerare corporum figuras, sed mysteriorum gratiam[1])". Internam nempe gratiam, quae ex sacramentis profluit, eos edocet eamque maioris momenti esse quam externum ritum sic probat lib. 1 De sacramentis c. 3 n. 10: „Ingressus es, vidisti aquam, vidisti sacerdotem, vidisti levitam. Ne forte aliquis dixerit: Hoc est totum? . . . Vidisti quae videre potuisti oculis tuis corporis et humanis conspectibus: non vidisti illa quae operantur quia non videntur. Illa multo maiora sunt quae non videntur quam quae videntur; quoniam quae videntur, temporalia sunt; quae non videntur aeterna[2])." Praesertim de baptismi interna gratia expresse dicit eodem loco c. 5 n. 15: „Vidisti aquam: sed non aqua omnis sanat, sed aqua sanat, quae habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio; aliud opus[3]), aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus Sancti est. Non sanat aqua, nisi Spiritus descenderit et aquam illam consecraverit . . . Vide quia omnis iustitia in baptismate constituta est[4])."

Deinde confirmationis internam gratiam S. Ambrosius censet esse divinum auxilium „in certaminibus saeculi" (lib. 1 De sacram. c. 2 n. 4)[5]) necnon „septem virtutes Spiritus" (lib. 3 De sacram. c. 2 n. 8, 9, 10)[6]).

Quid autem S. Doctor S. Eucharistiae internam gratiam intellexerit, accurate inquiremus, cum S. Communionis effectus investigabimus. Hoc loco contenti simus „illo pane vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit (lib. 5 De sacram. c. 4 n. 24)[7]).

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 391. [2]) Ibid. 16, 420.

[3]) Cf. Hurter, l. c. vol. 37, declarat vocem „opus": „Opus idem hic ac elementum, res naturalis."

[4]) Migne, Patr. Lat. 16, 422. [5]) Ibid. 16, 419.

[6]) Ibid. 16, 434. [7]) Ibid. 16, 452.

De institutione per Iesum Christum facta non est opus multa verba facere, cum S. Episcopus lib. 4 De sacram. c. 4 n. 13 egregie hisce eam praedicet: „Ergo auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus[1])?"

Quanti aestimaverit sacramenta Ecclesiae, inde colligitur quod ea „antiquiora quam synagogae et praestantiora"[2]) esse confirmat; omnium primam figuram diluvium fuisse lib. 1 De sacram. c. 6 n. 23 testatur: „In diluvio quoque fuit iam tunc figura baptismatis, et adhuc utique non erant mysteria iudaeorum. Si ergo huius baptismatis forma praecessit, vides superiora mysteria christianorum, quam fuerunt iudaeorum[3])."

In sacramentis suscipiendis necessariam esse fidem cognoscimus ex loco qui legitur De mysteriis c. 3 n. 8, ubi neophyti admonentur, ut bene distinguant inter rem visibilem, quae sit temporalis et inter rem invisibilem, quae sit aeterna. „Invisibilia enim Dei" (Rom. 1, 20), quae rebus creatis manifestantur et videntur, „sempiternam quoque virtutem eius et divinitatem" (ibid.), ab hominibus tam certo cognosci ac perspici posse, affirmat S. Ambrosius, ut hominibus argumentum exsistentiae Dei certum praebeatur. Quam sententiam Apostoli subtiliter ad oeconomiam sacramentorum transfert. Cum enim in sacramentis et operatio divina adsit — ad hanc rem demonstrandam S. Episcopus neophytis De myster. c. 9 nonnulla prodigia ex Antiqua Lege petita proponit — et ab hominibus nonnisi mente ac fide percipi possit, quid aliud restat, nisi ut credamus Deum ipsum in sacramentis quasi substantia sua praesentem esse? „Primo omnium", inquit, „docuit te Apostolus non ea contemplanda nobis esse quae videntur, sed quae non videntur; quoniam quae videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna (2. Cor. 4, 18). Nam et alibi habes: Quia invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt comprehenduntur: sempiterna quoque virtus eius ac divinitas

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 439. Hoc S. Ambrosii effatum Oswaldo tantopere arridet tamque celebre atque inclytum ab eo habetur, ut „dictum memoriale" illud pronuntiet l. c. p. 111.

[2]) De myster. c. 8 n. 44 (Migne, Patr. Lat. 16, 403).

[3]) Migne, Patr. Lat. 16, 424.

operibus aestimatur (Rom. 1, 20) . . . Crede ergo divinitatis illic adesse praesentiam. Operationem credis, non credis praesentiam? Unde sequeretur operatio, nisi praecederet ante praesentia[1])?"

Hic textus insuper clare demonstrat S. Ambrosium discrimen inter ea quae in sacramentis sint divina atque aeterna et ea quae sint temporalia atque transitoria, penitus pervidisse. Distinguit enim probe inter ea „quae non videntur" et ea „quae videntur" seu quod idem est inter vim divinam quae sacramentis inest et sacramentorum fructum cuius homines participes fiunt. Et quidem utrumque momentum ad ipsum sacramentum refert seu considerat sacramentum quatenus Deus in eo operatur. Qua in re S. Ambrosius multum differt a S. Augustino, qui fere nulla sacramenti qua talis ratione habita imprimis in subiectum sive recipientem inquirit, quatenus huic fructus sacramenti obtingunt[2]). Expressis namque verbis S. Augustinus Serm. 272 dicit: „Ideo dicuntur sacramenta, quia in iis aliud videtur, aliud intellegitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, fructum habet spiritualem[3])."

Aliud simile exemplum apud S. Ambrosium invenimus De mysteriis c. 3 n. 14, ubi aquam opponit cruci seu gratiae: „Aqua sine praedicatione dominicae crucis ad nullos

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 391.

[2]) K. Adam, Die Eucharistielehre des hl. Augustinus [Forschungen zur christlichen Literatur- und Dogmengeschichte], Paderborn 1908, p. 51: „Dieselbe von Ambrosius durchaus abweichende Problemstellung verrät seine (scil. S. Augustini) Sakramentenlehre überhaupt. Gleich dem Verfasser der Mysterien betont auch er den Unterschied des Geistig-Ewigen vom Zeitlich-Vergänglichen im Sakramentsempfang. Allein während Ambrosius diesen Unterschied in das Sakrament selbst hineinträgt und das Geistig-Ewige als die in jenem Sakrament wirksame divinitatis praesentia hinstellt, versteht Augustin das Geistig-Ewige als den Inbegriff der durch den fruchtreichen Empfang erwirkten persönlichen Heilsgüter. Eine Untersuchung des Sakraments für sich in Rücksicht auf seinen geistigen Gehalt unterläßt er durchaus. Während also Ambrosius ausschließlich das Sakrament für sich allein betrachtet, untersucht es Augustin ausschließlich mit Beziehung auf seinen Empfänger." Cf. Pohle, l. c. tom. III ed. 4 p. 204, necnon P. Schanz, Theologische Quartalschrift (Tübingen 1891) 4. Heft p. 556.

[3]) Migne, Patr. Lat. 38, 1247.

usus futurae salutis est: cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri et salutaris poculi temperatur[1])."

§ 2. De perspicuis pro reali praesentia Iesu Christi in SS. Mysterio probanda effatis.

Neophytorum i. e. recens baptizatorum consulens saluti S. Ambrosius id unum agebat, ut quam dilucidissime atque ad intellectum audientium accommodate de S. Eucharistia dissereret. Videamus quomodo et de ipso facto seu de corpore sanguineque Incarnati Filii Dei et de eius causa efficiente seu de elementorum conversione sermocinatus fuerit.

A. In S. Eucharistia corpus et sanguis Incarnati Filii Dei continetur.

1. Incarnatum Filium Dei, quem lib. 1 De fide c. 7 his praedicaverat verbis: „Legimus primogenitum, legimus unigenitum: primogenitus, quia nemo ante ipsum; unigenitus, quia nemo post ipsum[2])," in S. Eucharistia vere adesse lib. 6 De sacramentis c. 1 n. 1 sic docet: „Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris: ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus eius est potus[3])." Quod de Incarnatione dixit (lib. 1 De sacram. c. 5 n. 17: „Christus carnem suscepit, carnis illius veritatem; veram carnem Christus suscepit[4])," idem inculcat, cum de S. Eucharistia

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 393. Vide similia effata lib. 2 De sacram c. 2 n. 6 (Migne 16, 425). et eodem loco c. 4 n. 11 (Migne 16, 426) et rursus lib. 3 De sacram. c. 2 n. 14, 15. Adam, l. c. p. 52, ad illustrandam mentis diversitatem in S. Ambrosio et S. Augustino citat De myst. 3, 14: „Augustin liebt es, Sakrament und Konversion einander gegenüberzustellen, den mystischen Vorgang und die persönliche sittliche Tätigkeit. Erst letztere vermag das Sakrament zu beleben. Ambrosius dagegen sieht in seiner Sakramentsbetrachtung von der conversio als solcher völlig ab und weiß nur von dem Gegensatz ‚Element und Kreuz (= Gnade)', also nur von einer dinglichen Unterscheidung innerhalb des Sakramentes."

[2]) Ibid. 16, 539. [3]) Ibid. 16, 453. [4]) Ibid. 16, 422.

loquitur. Etenim Expos. in ps. 118 serm. 18 n. 27 haec habet: „Panem de caelo illum verum mihi servavit Pater. Mihi ille panis Dei descendit de caelo, qui vitam dat huic mundo[1].“ Quo loco S. Ambrosius inter S. Eucharistiam et Incarnatum Filium Dei, qui pro hominum salute de coelo descendit, relationem quandam statuit. Eodem enim modo quo Filius Dei, etiam S. Eucharistia „vitam dat huic mundo“. Adhuc clarius eandem sententiam De mysteriis c. 9 n. 53 exprimit, dicens: „Hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est.“ Et paucis intermissis: „Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est[2].“ Adde locum De bened. patriarch. c. 9 n. 39: „Hunc panem dedit Apostolis ut dividerent populo credentium, et hodieque dat nobis eum, quem ipse sacerdos cotidie consecrat suis verbis. Hic ergo panis factus est esca sanctorum. Possumus et ipsum Dominum accipere, qui suam carnem nobis dedit[3].“ Expos. in ps. 118 serm. 8 n. 48 corpus Christi et ipsum Christum idem esse affirmat: „Suscipe ante Dominum Iesum tuae mentis hospitio: ubi corpus eius, ibi Christus est[4].“ Et corpus et sanguinem in S. Eucharistia contineri in eodem libro serm. 14 n. 2 testatur, ubi „Dominici corporis sanguinis[5]“ mentionem facit, omnemque ambiguitatem excludens De mysteriis c. 9 n. 58 profitetur: „In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi[6].“

2. Ex his effatis merito inferimus S. Ambrosium voces „corporis“ et „carnis“ in suis sermonibus promiscue adhibuisse. Quaeritur tamen quid „carnem“ proprie intellexerit. Caro per synecdochen apud S. Ambrosium nihil aliud significat nisi Iesu Christi integram humanam naturam, quam etiam affectibus humanis praeditam fuisse Expos. in ps. 61, 5 profitetur: „Unde valde eos errare res indicat, qui carnem hominis a Christo aiunt esse susceptam, affectum negant . . . , qui hominem ex homine tollunt, cum homo sine affectu hominis esse non

[1]) Migne, Patr. Lat. 15, 1462.

[2]) Ibid. 16, 407. Vide quae supra p. 10 de Paschasio Radberto notavimus.

[3]) Corpus scriptorum Eccl. Lat. Ed. Schenkl, vol. 32 pars II p. 147.

[4]) Migne, Patr. Lat. 15, 1314. [5]) Ibid. 15, 1390.

[6]) Ibid. 16, 408.

possit[1])." Cum autem, ut vidimus lib. 6 De sacram. c. 1 n. 1, „vero Dei Filio, Filio ex substantia Patris" expresse opponat „veram carnem, quam accipimus", illico liquet hoc loco sermonem esse de carne Christi cum divinitate hypostatice unita. Eodem sensu intelligenda sunt quae lib. 4 De sacram. c. 4 n. 14 habet: „Panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi[2])." Et De Incarnationis Dominicae Sacramento c. 7 n. 75 docet Iesu Christi carnem tam arcte cum eius divinitate unitam esse, ut utrique debeatur cultus divinus: „Numquid cum et divinitatem eius adoramus et carnem, dividimus eum (scil Christum)[3])."

3. At cum corpus et sanguis Christi non propria sed aliena specie i. e. sub speciebus panis et vini sensibus nostris appareat ac proinde oculis plane abscondatur, S. Ambrosius neophytis qui mirabundi eum interrogabant: „Aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam?" (De mystriis c. 9 n. 50)[4]) hunc in modum nervose respondet: „Vere carnis illius sacramentum est[5])." Facile vides voce „sacramenti" hic ipsam Christi carnem sub specie panis occultam[6]) designari.

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 14, 1167. [2]) Ibid. 16, 439.

[3]) Ibid. 16, 837. P. Schanz, Die Lehre von den hl. Sakramenten der kathol. Kirche (Freiburg 1893) p. 345: „Wie Jesus Christus der Gottheit und des Leibes teilhaftig ist, so nimmt der, welcher das Fleisch empfängt, in dieser Nahrung teil an der göttlichen Substanz."

[4]) Migne, Patr. Lat. 16, 405. [5]) Ibid. 16, 407.

[6]) Hoc effatum vel ipsis Protestantibus tam perspicuum esse videtur, ut inviti concedant non de signo, sed de vera praesentia ibi sermonem esse. Sic Rückert, l. c. p. 468: „So auch mit den Worten: vere ergo carnis illius sacramentum est. Wollten wir sie übersetzen: ‚also ist in Wahrheit ein Zeichen jenes Leibes da', so wäre vere nicht nur überflüssig und fast widersinnig, sondern Ambrosius widerspräche sich auch selbst. Sacramentum ist also für ihn nicht Zeichen im Gegensatz zur Sache . . ., sondern entweder das Zeichen, das die Sache selbst ist, oder gar nicht Zeichen, sondern die heilige Sache selbst, und der Genitiv nur Erklärung, welche Sache dieses sei. Sie heißt aber sacramentum, weil sie doch nicht in eigener, sondern in fremder Gestalt erscheint, unter der Gestalt des elementum sich verbirgt, so daß sich auch sagen läßt, daß sie in sacramento sei." Thomasius, Die Dogmengeschichte der alten Kirche (Erlangen 1874) p. 423: „Es ist in Wahrheit

4. Iam vero carnem Christi Verbo unitam in S. Eucharistia etiam adorandam S. Episcopus docet lib. 3 De Spiritu Sancto c. 11 n. 79, ubi innixus psalmo 98,5 haec habet: „Per scabellum terra intellegitur, per terram autem caro Christi, quam hodie in mysteriis adoramus et quam Apostoli in Domino Iesu, ut supra diximus, adoraverunt[1]." Ex contextu huius loci constat S. Ambrosium divinam Spiritus S. naturam comprobandam suscepisse. Sed quo modo comprobavit? Quemadmodum multi alii Patres Ecclesiae[2]) sic et ipse ex communi fide tum temporis vigente in veram Iesu Christi in S. Eucharistia praesentiam audacter provocat ad carnem Christi, quae adorata sit ab Apostolis post resurrectionem Christi et adoretur a fidelibus, cum sacris mysteriis intersint. Cum autem ipse Spiritus S. sit auctor illius divinae carnis adorandae (Luc. 1, 35), con-

---

das sacramentum carnis illius. Sacramentum bedeutet hier nicht Symbol, Zeichen, sondern das Geheimnis, welches hinter der sinnlichen Anschauung liegt." Münscher, Handbuch der christl. Dogmengeschichte (Marburg 1809) p. 385: „Wie Cyrillus in der griechischen Kirche, so **erklärt sich ebenso stark in der lateinischen Ambrosius. Nach solchen Hauptstellen** (auctor affert De myster. c. 9) ist es überflüssig, die schwächer ausgedrückten Zeugnisse anderer Schriftsteller anzuführen".

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 794.

[2]) Franzelin, Tractatus de SS. Eucharistia, ed. 4 (Romae 1887) p. 124 sqq., Patres et Scriptores affert, qui de veritatibus religionis christianae disputantes dogma eucharisticum instar principii assumebant, e. gr. contra Arianos, Monophysitas aliosque. Qua de re consule Pohle quoque, l. c. vol. III ed. 4 p. 207 et p. 251. Heinrich-Gutberlet, Dogmatische Theologie (Mainz 1901) tom. IX p. 534 sqq. Cf. S. Augustini Enarr. in ps. 98, 9: „Adorate scabellum pedum eius . . . Suscepit de terra terram, quia caro de terra est: de carne hic ambulavit, Mariae carnem suscepit. Et quia in hac ipsa carne et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non modo non peccemus adorando, sed peccemus non adorando." Migne, Patr. Lat. 37, 1264. Cf. hunc locum cum iis quae habentur in opere: Perpétuité de la foi de l'Église catholique touchant l'Eucharistie (Paris 1704) tom. IV Tradition de l'Église touchant l'Eucharistie p. 29: „L'Église primitive adorait la chair de Jésus-Christ dans l'Eucharistie Sainte." Auctor addit S. Augustinum locum supra citatum ex S. Ambrosio hausisse: „Augustin le dit après S. Ambroise."

cludit eidem Spirtui S. parem cultum latriae ac carni eucharisticae deberi, ex quo sequitur, ut Spiritus S. sit ipse Deus. Haec igitur ratio erat cur in libro De Spiritu S. quasi per transennam de S. Eucharistia mentionem iniceret.

Similia habet lib. 1 Expos. ev. sec. Luc. c. 1 n. 28, ubi explicans Luc. 1, 11 similitudinem quandam invenit inter angelum Zachariae apparentem et angelum, qui assistat sacrificio eucharistico celebrando: „Apparuit illi angelus a dextris altaris incensi . . . Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus, immo praebeat se videndum. Non enim dubites assistere angelum quando Christus adsistit, Christus immolatur; etenim pascha nostrum immolatus est Christus[1]).“

Sic tandem confectum nobis videtur, quod principio probandum suscepimus, scilicet S. Doctorem viva fide in realem praesentiam Christi eucharistici imbutum fuisse. Sed tantum abest ut animus eius in hoc gravissimo dogmate acquieveri, ut etiam haud obscure mirabilem illum modum innuerit, quo tantum mysterium perficitur. Quod quidem hodierni theologi transubstantiationem appellant. Quam cum non carptim atque interrupte, sed uno quasi tenore neophytis proposuerit, scil. De myster. c. 9, opus non est eius dicta ex diversis libris colligere quia uno loco[2]) integra inveniuntur.

B. In S. Eucharistia conficienda elementa convertuntur.

S. Ambrosius de causa efficiente, vi cuius tota substantia panis et vini in corporis et sanguinis Christi substantiam transit, diversimode loquitur. Sic De myster. c. 9 n. 52, postquam affirmavit S. Eucharistiam maius miraculum esse

---

[1]) Corpus Script. Eccl. Lat. Ed. C. Schenkl, vol. 32, 4 p. 28. Quibus verbis veram praesentiam a S. Ambrosio significari, testis est Fr. Suarez S. J., De Eucharistia, ed. C. Berton (Paris 1872) disp. 65 sect. 1: „Ad verba consecrationis coelos aperiri, Angelorum multitudinem ad Christum adorandum descendere, ut videre est in S. Ambrosio, circa id Lucae 1: Apparuit ei Angelus.“ Officium angelorum erga Deum pulcherrime illustrat Bellarminus, Controvers. de sacramento Eucharistiae, lib. 2 c. 14 (Ingolstadii 1599).

[2]) Similia habet lib. 4 De sacramentis c. 4.

quam prodigia prophetarum, quorum modonunc mentionem fecerat, dicit: „Quodsi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa domini Salvatoris operantur[1]?" Ibidem n. 54 haec habet: „Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur[2]."

Ipsum autem transitum panis in Christi corpus verbis „convertendi", „mutandi", „transfigurandi" reddere solet. Exemplum habes De myster. c. 9 n. 52 quod iam supra posuimus: „Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa domini Salvatoris operantur?" Et paucis intermissis: „. . . non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum?" E contra lib. 4 De fide c. 10 n. 124 dicit: „Quotiescumque sacramenta sumimus, quae per sacrae orationis mysterium in carnem transfigurantur et sanguinem, mortem Domini annuntiamus[3]." Eandem transfigurandi vocem adhibet De Incarnationis Dominicae sacram. c. 4 n. 23: „Etsi credas a Christo veram carnem esse susceptam et offeras transfigurandum corpus altaribus, non distinguas tamen naturam divinitatis et corporis, et tibi dicitur: ‚Si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti'[4]."

I. Quid de his **terminis** sentiendum? Investigemus singulos.

1. Quod imprimis ad „consecrationis" vocem attinet, initio statuendum est eam eodem sensu sumi ac „benedictionem", siquidem in eodem nono capite De mysteriis utramque vocem invenimus promiscue adhibitam aeterna fere vi ac potestate („quodsi tantum valuit humana benedictio . . . quid dicimus de ipsa consecratione divina" — „ante benedictionem verborum caelestium . . . post consecrationem"); immo interdum quae alibi ut diversa disiunxit, ea in unum conceptum quasi compingit, ut in eodem capite n. 50: „Probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit[5]."

Ut autem vim vocis „consecrationis" melius perspiciamus, operae pretium erit similia aliorum Patrum effata comparare.

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 406. [2]) Ibid. 16, 407. [3]) Ibid. 16, 406.
[4]) Ibid. 16, 824. [5]) Ibid. 16, 405.

Et primo quidem loco in medium proferimus Tertulliani celebre dictum, De resurrectione carnis c. 8: „Caro ungitur, ut anima consecretur[1]." Ex altera parte Cyprianus De lapsis c. 25 dicit: „ . . . sanctificatus in Domini sanguine potus[2]," necnon Epist. 63 c. 9: „ . . . sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari[3]" et rursus Epist. 63 c. 13: „ . . . in sanctificando calice[4]." Quid hoc sibi vult? Pronum est inferre: Sicut actionem unctionis externae, puta in Confirmatione, sequitur effectus internus animae inhaerens, quem Tertullianus animae consecrationem appellat, ita externa verborum pronuntiatio super elementa panis et vini in S. Eucharistia internam eorum substantiam intime afficit, consecrat, sanctificat. Quod Tertulliano est „consecrare", id Cyprianus verbo „sanctificandi" exprimit. Atqui consecratio etiam a S. Ambrosio intellegitur esse sanctificatio elementorum. Ergo in hac re secutus est ad amussim usum linguae Patrum Ecclesiae Africanae[5].

2. Quid quod etiam terminis „convertendi" et „mutandi" ad idem significandum toto nono capite De myst. etiam atque etiam promiscue utitur? Et sane aptissime effectum occultum benedictionis seu consecrationis his vocibus designat. Ipse autem laudatos terminos explicat, cum in eodem contextu prosequitur: „Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, nonne potest ea quae sunt in id mutare quod non erant[6]?" En quomodo omni exspectatione apertius conversionem elementorum doceat! Nonne crederes aut Scholasticum medii aevi aut unum e Tridentinis Patribus loquentem? Neque silentio praetereundum est quod S. Ambrosius primus in linguam Latinam

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 2, 806. [2]) Ibid. 4, 500.

[3]) Ibid. 4, 392.

[4]) Ibid. 4, 395. Cf. Fr. Renz, Opfercharakter der Eucharistie (Paderborn 1892) p. 130 sq., ubi verbum „sanctificare" a S. Cypriano adhibitum esse eodem sensu probat ac verbum „consecrare". Illud S. Cypriani „sanctificatus in Domini sanguine potus" in linguam teutonicam rectissime vertit: „Der in das Blut des Herrn konsekrierte Trank." Auctor praeterea affert praeclare dictum Tertulliani Adv. Marc. IV, 40: „Sanguis in vino consecratus."

[5]) Batiffol, l. c. p. 285; „Comme les Africains, Ambroise met l'accent, pour ainsi dire, sur la sanctification, il lui donne le nom de ‚consecratio', grâce à laquelle le pain matériel devient corps du Christ . . ."

[6]) Migne, Patr. Lat. 16, 407.

ecclesiasticam hos terminos introduxit[1]). Ecquid mirum, si nonnulli theologi protestantes illis terminis a S. Episcopo usurpatis veram conversionem contineri aperte concedunt[2])?

Tertius denique terminus „transfigurandi“ idemne significat quod ceteri supra commemorati? A primo animadverte hanc vocem inveniri iam apud Tertullianum, qui Adv. Praxeam c. 27 de sententia: „Verbum quod caro factum est“ disputans haec habet: „Igitur, dum sermo in carne, et de hoc quaerendum, quomode sermo caro sit factus utrumne quasi transfiguratus in carnem an indutus carnem. Immo indutus. . . . Transfiguratio autem interemptio est pristini[3]).“

---

[1]) Batiffol, l. c. p. 286: „Ambroise introduit dans le langage ecclésiastique latin l'expression définitive de ‚naturam convertere‘ ou ‚mutare‘, qui contient proprement l'idée de conversion. Saint Ambroise, avec une netteté extraordinaire, a vu le noeud de la doctrine eucharistique. Il s'en faut que le langage de saint Ambroise soit de tout point classique: pour lui ‚naturam mutare‘ est synonyme de ‚species mutare elementorum‘. Mais le miracle de la conversion est défini avec une exactitude parfaite: ‚Ea quae sunt in id mutare quod non erant‘. Pareilles définitions sont pour demeurer invariables.“ Cf. Rauschen, l. c. p. 33.

[2]) Thomasius, l. c. p. 422 sq.: „Den Ausdruck ‚Verwandlung‘ braucht Ambrosius, und zwar in einer Weise (lib. De myster. c. 9), die der des Johannes von Damaskus gleichkommt. Er läßt den Schüler fragen: Aliud video etc. Darauf antwortet er: ‚nicht das, was die Natur gebildet hat (quod natura formavit, das natürliche Brot und Wein), ist da, sondern was die benedictio (das Einsetzungswort) konsekriert hat, Christi Leib und Blut; die Kraft der benedictio (= Konsekration) überwiegt die der Natur, quia benedictione ipsa natura mutatur.“ Rückert, l. c. p. 467: „Also: was die Natur gebildet hat, das Brot und der Wein, das ist nicht da; es ist etwas anderes da, nämlich der Leib und das Blut Christi; die Ursache aber ist die benedictio, d. h. die Einsetzungsworte in ihrer Eigenschaft als benedictio, *εὐλογία*, und diese ist eine Kraft, welche auch naturam mutare kann, es also hier getan hat . . . Das ist der Begriff der Verwandlung, die Stoffe sind verwandelt worden in Leib und Blut des Herrn.“ E contra A. Ebrard, Abendmahl, tom. I (Frankfurt a. M. 1845) p. 306, opinatur S. Ambrosium tantummodo vim quandam elementis tributam docuisse.

[3]) Adhibuimus novissimam Tertulliani, Adversus Praxeam, editionem a E. Kroymann accuratam [Sammlung ausgewählter kirchen- und dogmengeschichtlicher Quellenschriften, 2. Reihe, 8. Heft, Tübingen 1907] p. 45.

Quibus verbis Tertullianus omnino negat in Incarnatione transfigurationem divinae naturae locum habuisse quae si accidisset Incarnatus Filius Dei divinitatem suam amisisset sola humana natura sibi relicta. Hinc inferimus merito terminum „transfigurandi" apud Tertullianum omnino respondere termino „convertendi" i. e. significare omnimodam rei exsistentis immutationem [1]).

3. Sed quid de S. Ambrosio? Ut melius intellegamus quid ipse „transfigurationem" intellexerit, utrumque locum iam supra citatum, ubi ea vox occurrit, breviter investigemus:

a) Lib. 4 De fide c. 10 n. 124 ait: „Quotiescumque sacramenta sumimus, quae per sacrae orationis mysterium in carnem transfigurantur et sanguinem, mortem Domini annuntiamus [2])." Quid igitur est quod transfiguratur? Respondet simpliciter S. Doctor: sacramenta. Res non videtur esse tam facilis ad solvendum. Tamen duplex ex angustiis patet via: aut enim „sacramenta" intelleguntur Christi ipsum corpus et ipse sanguis iam in altari praesens, tum vero neque necesse est neque fieri potest ut sacramenta transfigurentur; aut „sacramenta" intelleguntur ipsa elementa panis et vini, tum vero

---

[1]) Batiffol, l. c. p. 291: „Le verbe ‚transfigurare', si étonnant que cela semble, est synonyme de ‚convertere'. Tertullien en témoighe, dans un chapitre du traité Adversus Praxeam, dont Saint Ambroise parait ici dépendre . . . S'il y avait transfiguration dans l'incarnation, il n'y aurait plus qu'une nature." Franzelin, l. c. p. 188 affirmat vocem a Conc. Trid. sancitam „transsubstantiationis" analogam esse voci „transformationis" necnon „transfigurationis", cum „terminus secundum totam substantiam remanentibus tantum sensibilibus accidentibus transeat in aliam substantiam". Rückert etsi hunc terminum a S. Episcopo inepte adhibitum esse putat, cum, ut ait, figura elementorum non immutetur, sed sola substantia eorum, tamen re vera de eiusdem conversione cogitasse S. Ambrosium lib. 4 De fide c. 10 n. 124 ultro concedit: „Die Stoffe also, quae transfigurantur, empfangen wir nicht, sondern was durch die transfiguratio daraus geworden ist; und auch Ambrosius kann nur dieses denken . . . Wir müssen folglich annehmen, daß er durch sacramenta nicht allein die Stoffe nach ihrer ursprünglichen Wesenheit, sondern auch dieselben nach ihrer geschehenen Verwandlung verstehe; . . . durch die geheimnisvolle Kraft der Weiheworte werden die ursprünglichen Stoffe in das Fleisch und das Blut Christi umgewandelt."

[2]) Migne, Patr. Lat. 16, 641.

S. Episcopus ipse sibi adversaretur, cum innumeris aliis locis expresse profiteretur in S. Communione sumi corpus et sanguinem Christi, non autem elementa (e. gr. De myst. c. 9 n. 50: „Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam? . . . Probemus non hoc esse quod natura formavit [scil. panem et vinum], sed quod benedictio consecravit) [1])." Quid igitur re vera hoc loco docet? Necesse est inspiciamus lib. 4 De sacram. c. 4 n. 15, ex quo loco verbis, de quibus est disceptatio, non minima lux affulgebit. Miraculum conversionis elementorum cum creatione mundi comparans ait: „Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur?" Quae si ad locum controversum applicare licet, sic dicendum videtur: „Sunt quae erant" i. e. panis et vini accidentia; nihilominus „in aliud commutantur" i. e. panis et vini substantia sublata tunc aliquid aliud adest i. e. substantia corporis et sanguinis Christi. S. Ambrosius fortasse magis perspicue rem expressisset, si dixisset: „sacramenta quae transfigurata sunt" loco temporis praesentis „transfigurantur", nam prius transfiguratio locum habet quam sumptio consequitur. Quapropter loquens, ut liquet, de S. Communione utriusque momenti rationem habuisse videtur: et solorum elementorum nondum transfiguratorum et corporis sanguinisque iam per transfigurationem praesentis. Ad sola elementa referendum est illud: „quae transfigurantur"; ad corpus sanguinemque alterum: „sumimus". Qua in re putamus S. Episcopum figura rhetorica, quam prolepsin vocant, usum esse, cum studio loquendi abreptus imprimis veram Iesu Christi in S. Eucharistia praesentiam ita in animo haberet, ut simul mirabilem conversionem silentio praetermittendam non esse exsistimaverit. Ceterum alia dilucidissima effata, quae ad elementorum conversionem spectant, pro eius vera sententia satis spondent. Dissentimus vero a theologo lutherano Rückert, qui citatum locum interpretans

[1]) Cf. Batiffol, l. c. p. 288: „Le contexte immédiat suggère d'entendre du corps du Christ les expressions: ‚Non hoc est quod natura formavit'. Un examen plus réfléchi, au contraire, montre que hoc est le pain. Ainsi le pain, après la consécration ou benédiction, n'est plus tel que la nature l'avait constitué."

sine solida ratione affirmat S. Ambrosium „sacramenta“ et ad substantiam elementorum ante consecrationem et ad eandem substantiam elementorum post consecrationem rettulisse[1]).

b) In opere De Incarnationis Domin. sacram. c. 4 n. 23 S. Ambrosius haec habet: „Etsi credas a Christo veram carnem esse susceptam et offeras transfigurandum corpus altaribus, non distinguas tamen naturam divinitatis et corporis, et tibi dicitur: ‚Si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti‘[2]).“ Hic locus insigne exemplum praebet quomodo S. Ambrosius aliorum Patrum Ecclesiae premens vestigia ipsum dogma eucharisticum in controversiis cum haereticis antitrinitariis instar principii refellendi assumpserit. Nec tamen caret omni difficultate. Imprimis S. Doctor contra Subordinatianos, qui divinam naturam christi divinitati Patris omnino subiectam et inferioris ordinis esse delirabant, nihilominus inter divinitatem et humanitatem accurate distinguendum esse docet. Argumentationem vero ex communi omnium fide circa verum corpus Christi in S. Eucharistia per elementorum conversionem praesens repetit. Voces „carnis“ et „corporis“ eandem plane rem significare inde patet quia in iis ad quos verba faciebat rectam fidem et in veram carnem a Filio Dei in Incarnatione susceptam et in eandem carnem Verbo unitam, in quam oblationes[3])

---

1) Rückert, l. c. p. 470: „Wir müssen folglich annehmen, daß er (scil. S. Ambrosius) durch sacramenta nicht allein die Stoffe nach ihrer ursprünglichen Wesenheit, sondern auch dieselben nach der geschehenen Verwandlung verstehe.“

2) Migne, Patr. Lat. 16, 824. Theodoret Cyrens. *Ἐρανιστὴς ἤτοι Πολύμορφος*, dialog. 2, verba S. Ambrosii sic vertit: „*Κἂν γὰρ πιστεύσῃς ὡς ἀληθὲς εἴη τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ προσκομίσῃς θυσιαστηρίῳ πρὸς μεταποίησιν, μὴ διαστίξῃς δὲ τὴν τοῦ σώματος καὶ τῆς θεότητος φύσιν, ἐροῦμεν καὶ σοὶ ‚Ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες‘.*“ Migne, Patr. Gr. 83, 145. Theodoretum elementorum conversionem hoc loco subintellexisse, invicte probant Editores Benedictini, Migne, Patr. Lat. 16, 824 nota d. contra editorem operum Theodoreti J. L. Schulze, Migne, Ser. Gr. 84, index Graecus sub litt. *μ*.

3) Locum enim de quo agitur sic interpretandum putamus: „Etsi offeras altaribus i. e. apportes oblationes ad altaria seu panem et vinum eo fine, ut transfigurentur in corpus Christi etc.“ Similiter editor operum Theodoreti supra laudatus interpretatur. Cf. Migne, Patr. Gr. 84, index Graecus sub litt. *μ*. E contra Rückert affirmat hunc locum omni sensu carere, unde textum corruptum esse supponit (cf. l. c. p. 470). Loofs,

(i. e. panis et vinum) transfigurentur, manifeste supponit. Divinitatem tandem Filii contra Semiarianos sic probat: quodsi Filius Dei veram carnem suscepit atque haec vera caro in S. Eucharistia realiter praesens cultu latriae adoratur, nil aliud restat nisi ut credamus verum Deum esse Filium. Cavendum tamen, ne (inquit) divinitatem et humanitatem Filii confundamus, quippe quae res sint diversae.

Ex allatis igitur locis videmur nobis ostendisse, S. Ambrosium cum verbo „transfigurandi" uteretur, veram conversionem docere voluisse.

II. **Possibilem** autem elementorum conversionem esse S. Episcopus tribus argumentis ostendit provocans primo ad prodigia prophetarum Antiquae Legis, deinde ad verba Iesu Christi, postremo ad admirabilem Filii Dei Incarnationem.

1. De prodigiis prophetarum Antiquae Legis.

S. Ambrosius septem prodigiorum, quibus Deus prophetarum missionem comprobaverat, mentionem facit, quae singula et omnia[1]) De mysteriis c. 9 enumerantur. Perscrutemur singula, ut cognoscamus qua ratione cum sacramentali conversione cohaereant.

a) Primum prodigium ex Exod. 4, 3. 4 petitum est, ubi de virga a Moyse in terram proiecta et in colubrum immutata agitur. Virga, ubi primum e iaculantis prophetae manu emissa terram tetigit, naturam suam exuit et „facta est serpens". Talis tantaeque immutationis causam S. Antistes dicit fuisse „propheticam gratiam"[2]) i. e. gratiam Moysi a Deo datam.

Realenzyklopädie für protest. Theologie und Kirche, tom. V³ Art. Abendmahl, textum traditum quidem non corrigit, attamen addit: „Der Ausdruck offerre transfigurandum corpus (nicht panem in corpus transfigurandum) ist ein deutlicher Beweis dafür, daß Ambrosius die symbolisch-sakrifizielle Anschauung mit der realistisch-dynamischen kombiniert." Verbum „transfigurare" censet esse repetitum a figura rhetorica hendiadys: ἁγιάζεσθαι καὶ μεταβάλλεσθαι. Optime iudicat Adam, qui l. c. p. 56 contendit non de symbolica, sed de reali conversione ibidem agi.

[1]) Lib. 4 De sacram. c. 4 n. 18 solummodo quattuor occurrunt (Migne, Patr. Lat. 16, 442).

[2]) Cf. Ign. Weitenauer, Biblia Sacra (Augustae Vind. et Friburgi Brisg. 1773) ad cit. locum n. 30: „Fecit signa non Aaron, sed Moyses.

Quae quid proprie fuerit, hoc loco non indicat; at vero omnibus prodigiis allatis pauca quaedam addit, ut infra videbimus. Attamen iam nunc exploratum est S. Ambrosium illius prodigii solum auctorem ipsum Deum habuisse, eumque auctorem principalem, qui Moyse quasi instrumento usus sit. En quibus verbis utatur: „Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, et facta est serpens. Rursus prehendit caudam serpentis et in virgae naturam revertit. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam et serpentis et virgae[1]).“

Quodsi quaeritur, quorsum hoc prodigium ad S. Eucharistiam spectet in dubium vocari nequit, quin ex sententia S. Ambrosii vera conversio virgae in serpentem et viceversa acciderit; nam omnia et singula momenta, quae quaelibet vera alicuius rei conversio requirit, certe adsunt. Adest enim „terminus a quo“ i. e. virga; adest quoque „terminus ad quem“ i. e. serpens. Nec deest internus quidam inter utrumque nexus, quatenus serpens successit virgae, quia virga desiit esse. Qui nexus utique non est physicus, sed moralis, quia Deus naturam virgae omnino e medio tollere voluit, ut serpentis natura ei succedere possit. At enim „commune tertium“, quod plerique theologi ad conceptum omnis verae conversionis exposcunt, videtur deesse, quandoquidem serpens nihil virgae, virga nihil serpentis sibi retinuit, sed suam quisque naturam usque adeo amisit, ut nihil commune in utroque remanserit. Cum autem ad notionem verae conversionis istud „commune tertium“ necessario exigatur, nil aliud restat nisi ut statuamus extrema, scil. virgam et serpentem per logicam quandam relationem, quae est ens rationis mutuo vinciri atque contineri[1]). Et hac ratione conversio eucharistica in qua accidentia remanent,

---

Aaroni enim solum loquendi munus demandatum erat. Moyses autem prodigia illa ipsa patravit, quae Dominus iusserat.“

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 405, Ibidem et reliqui loci inveniuntur.

[2]) Sic probat Pohle, l. c. tom. III ed. 4 p. 226 sq.: „Eine andere Frage ist die, ob das die Wandlungsglieder einigende Band etwas physisch Reales sein müsse . . . oder ob zum commune tertium auch eine bloß logische Verknüpfung der beiden Extreme, also ein ens rationis genüge.“ Auctor negat „commune tertium“ in aliqua physica realitate necessario consistere et provocat speciminis gratia ad virgae in serpentem conversionem.“

certo multum differt a conversione mosaica, ad quam S. Ambrosius provocat.

b) Secundi prodigii (Exod. 7, 21) liber De myst. hanc praebet descriptionem: „Currebant Aegypti flumina puro aquarum meatu; subito de fontium venis sanguis coepit erumpere, et non erat potus in fluviis. Rursus a prophetae prece cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit."

Singula momenta, quae ad veram conversionem spectant, etiam in hoc prodigio reperiuntur. Causam conversionis cruoris habes „prophetae precem". Iterum igitur Deus, a quo propheta petebat, ut sanguinem iterato miraculo auferret, auctor principalis prodigii est. Et ne longi simus, habes aquam et sanguinem ut extremos terminos; habes internum nexum inter utrumque, habes denique „commune tertium" utique logicum, quia nimis manifestum est, in aquis fluvii nil sanguinis, et vicissim, relictum fuisse. Arbitramur autem, S. Ambrosium in utroque prodigio non qualiscunque, sed etiam substantialis conversionis exempla nobis dare voluisse, id quod de ceteris prodigiis non ita constat. Etenim S. Doctor credidisse videtur, et totam virgam in serpentem et totam aquam in sanguinem (et utrobique vicissim) conversam fuisse. Quod ut melius intellegas, animadverte conversionem quamcunque aut substantialem esse aut accidentalem. Substantialis ea dicitur, qua ipsa substantia rei in aliam substantiam transvehitur; accidentalis vero, quae dumtaxat accidentia rei, puta formam vel figuram, afficit. Et huiusmodi sunt exempla, quae S. Ambrosius in sequentibus in medium profert.

c) Tertium miraculum ex Exod. 14, 21 sqq. petitum S. Ambr. sic enarrat: „Circumclusus undique erat populus Hebraeorum, hinc Aegyptiis vallatus, inde mari interclusus: virgam levavit Moyses; separavit se aqua et in murorum specie congelavit, atque inter undas via pedestris apparuit."

De vera aliqua conversione hic sermonem esse negamus. Quamvis enim possit concedi adfuisse ibi conversionem accidentalem, si supponare liceret aquam maris revera „congelavisse"; quodsi enim aqua in glaciem transit, certe aquae accidentia attinguntur [1]),

[1]) Cf. Pohle, l. c. vol. III ed. 3 p. 223, qui „mutationem" definit: „Ganz allgemein jeder beliebige ‚Übergang von Zustand zu Zu-

tamen nomen „congelandi" vix accipiendum putamus pro eodem ac frigoribus conglaciare, quia Sacra Scriptura adeo de frigore nil refert, ut solius vehementis venti, qui nocte mare exsiccavisset, mentionem fecerit. Quapropter cum ne accidentia quidem aquae conversionem subierint, solam mutationem statuimus: aqua enim ex statu motus transiit mere in statum quietis[1]), postquam ex unica compacta massa se in duas seorsim partes murorum vel parietum istar erexit, ita ut Hebraei copiam sicco pede transeundi haberent. Itaque relatione inter hoc prodigium et eucharisticam conversionem nulla exsistente ab investigandis terminis nexuque desistere nos posse exsistimamus. Neque tamen superfluum videbitur generatim praecavere ab errore, S. Ambrosium in congerendis prodigiis biblicis oleum et operam perdidisse et, ut ita dicam nequicquam laborasse, utpote qui totus in eo esset, ut maximum illud prodigium eucharisticum analogiis etiam longius petitis illustraret et ingenii sui lumine undequaque perfunderet, non immemor illius adagii: „Omne simile claudicat."

d) Unde non est quod miremur, si plane idem observamus in quarto prodigio, quod Deus patravit, ut missionem Iosue, post mortem Moysis Hebraeorum ducis, mirabiliter inauguraret. De hoc ita Ambrosius: „Iordanis retrorsum conversus contra naturam in sui fontis revertit exordium . . . Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum vel fluvialis cursus esse mutatam[2])?" Auctor et ipse in textu recte usus est verbo „mutare", quantumvis exemplum analogicum sacramentalis conversionis dare sine dubio in animo haberet.

e) In prosequendis ceteris exemplis S. Ambrosius ita procedit: „Sitiebat populus patrum, tetigit Moyses petram, et

---

stand'." Ibid. p. 225 auctor inter exempla conversionis accidentalis etiam transitum aquae in glaciem affert. Adi hac de re praeterea Heinrich-Gutberlet, l. c. vol. IX p. 560 sq., necnon Franzelin, l. c. p. 190, qui conversionis accidentalis affert exemplum scil. stipitem in statuam conversum.

[1]) Heinrich-Gutberlet, l. c. vol. IX p. 560: „Wenn ein Körper aus Ruhe in Bewegung . . . übergeht, ändert er sich, es findet eine Veränderung an ihm statt, aber er wird nicht verwandelt."

[2]) Cf. Aem. Schöpfer, Geschichte des Alten Testamentes (Brixen 1906) 4 ed. p. 257; Ign. Weitenauer, l c. lib. Ios. n. 15, 17; Wetzer und Weltes Kirchenlexikon (Freiburg i. Br. 1889) 2 ed. vol. VI p. 1823.

aqua de petra fluxit. Numquid non praeter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura?" Quodsi conversio definitur „transitus unius rei in aliam sub aliqua ratione entis", vix dices in casu eiusmodi transitum locum habuisse: petra enim remansit petra. Immo nec mutationem passam eam fuisse censemus nisi forte mutationem accidisse ex eo concludimus, quod aqua ex petra prorupit; attamen figura, status, condicio neque desierunt neque ut mea fert opinio, aliquid aliud acquisiverunt: petra ut nihil amisit, sic nihil novi assumpsit; nam et substantia et accidentia petrae idem manserunt. Quapropter S. Episcopum in hoc exemplo nil aliud voluisse putamus nisi omnipotentiam Dei praedicare, quippe quae etiam in conversione sacramentali mirabiliter operetur. Omnipotentiam vero divinam utrobique admiratione dignam esse, quis negare audeat?

f) Hebraei cum ex Aegypto redeuntes in Mara quiescerent, ubi copia bibendi iis defuit, indignati in Moysen murmurabant eo quod fluvius amaram aquam contineret[1]). Sed cum Moyses Deo imperante lignum in fluvium iniecisset, factum est, ut aqua subito amaritudinem amitteret. Videamus quomodo S. Ambrosius rem enarret: „Merrha fluvius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit Moyses lignum in aquam, et amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit." Cum amaritudo in numero accidentium ponatur, non est dubium quin conversio quaedam accidentalis tunc evenerit. Aqua enim non quidem secundum suam substantiam, sed secundum suam qualitatem transiit in liquorem, qui etsi et ipse aqua, tamen carebat sapore amaro[2]).

g) Restat ut de prodigio ab Elisaeo facto dicamus. Ipse S. Ambrosius De mysteriis l. c. sic enarrat: „Sub Elisaeo propheta uni ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi, et statim mersum est. Rogavit Elisaeum, qui amiserat ferrum: misit Elisaeus lignum in aquam, et ferrum natavit. Utique

[1]) Cf. Kirchenlexikon, l. c. vol. VIII p. 637 sq., ubi impugnatores prodigii refutantur.

[2]) J. Pruner, Die Theologie des hl. Ambrosius, Jahresbericht über das Bischöfliche Lyceum zu Eichstätt (Eichstätt 1862) p. 18 hanc amarae aquae in dulcem conversionem pro Baptismi typo habet. Cf. De sacr. lib. 4 c. 4 n. 18.

et hoc praeter naturam factum cognoscimus: gravior est enim ferri species, quam aquarum liquor." Prodigium istud[1]) in eo consistebat quod securis in fundo aquae iacens efferebatur, natabat, ab aqua sustinebatur, seu ut philosophice dicam, e statu quietis in statum motus transiit. Opponi igitur potest prodigiis sub lit. c. et sub lit. d. notatis quorum haec proprietas erat, ut aqua e statu motus transiret in statum quietis, in rubro mari quidem duos erectos parietes, in Jordane autem altum aggerem formans. Re penitius inspecta habemus per se solam mutationem ferri quae tamdiu durabat, quamdiu ferrum in aqua natabat. Nihilominus theologis Heinrich-Gutbertet ducibus, qui affirmant: „Eine ganz scharfe Grenze läßt sich zwischen Veränderung und Verwandlung nicht ziehen[2])", in prodigio, de quo agimus, facile etiam conversionem accidentalem viderimus, nimirum securim considerando, non quatenus e statu quietis in statum motus transiit, sed quatenus inter natandum accidente, quod gravitas vocatur, privabatur.

His septem prodigiis S. Ambrosius possibilem esse eucharisticam conversionem probare voluit. Quod enim initio capitis IX pollicitus erat neophytis („Probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: maioremque vim esse benedictionis quam naturae, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur"), id se sub finem reapse confecisse iudicat concludens: „Advertimus igitur maioris esse virtutis gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticae benedictionis numeramus gratiam[3])." In singulis prodigiis investigandis vidimus comparationes a S. Antistite allatas non omnes semper aptas esse, sed plerumque vel conversionis accidentalis vel mutationis tantum exempla proponi. Utut res se habet, id pro certo habendum est S. Doctorem, licet solius mutationis quaedam protulerit exempla, tamen de sacramentali conversione aliter sensisse, id quod et ex toto tractatu ad neo-

---

[1]) Cf. de eodem in libris De sacram. l. c.

[2]) Heinrich-Gutberlet, l. c. p. 561: „hunc in modum prosequitur: Nur das kann man sagen: Man spricht von einer bloßen Veränderung eines Dinges, wenn man es seinem Wesen oder der Hauptsache nach als bleibend denkt; es wird verwandelt, wenn es als aufhörend und durch ein Anderes ersetzt gedacht wird."

[3]) Migne, Patr. Lat. 16, 406.

phytos et ex permultis effatis eius luculenter constat. Ceterum praetermittendum non est id, quod ipse de istis prodigiis professus est, nimirum humanam prophetarum benedictionem non tantum valere quantum „consecratio divina“ efficere possit[1]). Ideo nihil antiquius habet quam ut hanc „consecrationem divinam“ i. e. verba, quibus Iesus Christus S. Eucharistiam instituit, Neophytis exponat.

2. De verbis Iesu Christi substantialem conversionem efficientibus.

Et re quidem vera vix S. Catechista prodigia Antiquae Legis exposuerat, cum statim animos neophytorum in verba Iesu Christi institutionis convertit, ut ea plus valere demonstraret quam prophetarum benedictionem. Ait enim De mysteriis

---

[1]) Quod ad „gratiam“, cui S. Episcopus vim conversionis tribuit, attinet, opus quod inscribitur Perpétuité (l. c. tom. IV Tradition p. 35) gallice sic vertit: „La grâce que Dieu avait communiquée à ce Prophète.“ Et in margine: „La grâce signifie la puissance miraculeuse du S. Esprit.“ Consule etiam Hurter, l. c. vol. VII p. 83 n. 1: „Propheticae benedictionis numeramus gratiam i. e. hucusque locuti sumus de propheticae tantum benedictionis virtute, efficacia. Quod si tantum benedictio, virtus prophetarum valuit tamque miros habuit effectus, ut rerum naturas converteret, quid dicemus de consecratione divina!“ Necnon Franzelin, l. c. p. 113: „Nam miracula omnia enumerata patrata sunt per verba et benedictionem prophetarum.“ Et Rückert, l. c. p. 467 sq.: „Der neue Gebrauch von gratia, um eine Gewalt über die Natur zu bezeichnen, wird hier nicht besprochen, und daß von den gebrauchten Beispielen mehrere nicht wirkliche Verwandlungen sind, nur Veränderung der Eigenschaften, das ist wahr; aber einen Schluß, daß er also auch im Abendmahl nur diese denke, möchte ich durchaus nicht ziehen. Denn erstlich zwei derselben sind doch wirkliche Verwandlungen; der Verfasser aber, in seinem Eifer, Beispiele zu sammeln, nimmt, was von irgend einer Seite sich ihm brauchbar zeigt; sodann, was er beweisen will, das ist der allgemeine Satz von der Übermacht der gratia über die natura, in welchem der besondere, die Verwandlung betreffende, mit bewiesen ist; und endlich drittens, alle diese Beispiele haben nur bewiesen, quantum humana valeat benedictio, und sollen nur dem Schlusse zur Unterlage dienen, daß ipsa consecratio divina, ubi verba Domini Salvatoris operantur, noch weit Größeres müsse wirken können, so daß auch, wenn dort gar keine Verwandlung erwiesen wäre, sie ihrem Zwecke doch vollauf genügen würden.“

c. 9 n. 52: „Quodsi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur[1]).“

Patet, haec ad asserendam efficaciam verborum Christi dicta esse, quibus panis et vinum in corpus et sanguinem eius convertuntur. Qua prima occasione libenter arrepta, ut audientium animos de vi ac potestate horum verborum bene informaret, propositum suum ita assecutus est, ut et preces Eliae, quae mirabili modo ignem de caelo in victimas deferebant, et verba Creatoris, quibus ex nihilo factus est mundus (Ps. 148, 5), in suum usum conferret. „Quodsi“, inquit, „tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse ixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt, in id mutare, quod non erant? Nonne enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas[2])?“ His gemina ocurrunt lib. 4 De sacram. c. 4 n. 15, ubi tamen additur: „Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si erogo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur[3])?“

Licet his duobus locis de una eademque re tractetur, ut scilicet ex creatione mundi firmum argumentum conversionis eucharisticae promatur, tamen modus argumentationis in utroque casu diversus est. Liber enim De myster. solam elementorum conversionem („non potest ea quae sunt, in id mutare etc.“), alter vero liber De sacram. magis permanentiam accidentium consecratione peracta videtur efferre („ut sint quae erant,

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 406.

[2]) Ibid. 16, 406. G. Rauschen, Eucharistie und Bußsakrament (Herder, Freiburg i. Br. 1908) p. 34, suadet, ut l. c. legatur; „Nonne enim . . .“, etsi omnes codices manuscripti habent: „Non enim . . .“. Textum libenter emendavimus, ne sententia obscura evaderet.

[3]) Migne, Patr. Lat. 16, 440.

et in aliud commutentur“). Ut verum fateamur, ambae sententiae, quamvis per se eundem sensum fundant tamen invicem se supplere videntur, quandoquidem Ecclesia reapse docet utrumque, scil. in S. Eucharistia et substantiam elementorum converti et accidentia eorundem („ut sint quae erant“) remanere. Iure meritoque igitur Guitmundus [1]), auctoritate libri 4. De sacram. innixus, postquam affirmavit ibidem non de corpore Christi in pane latente, sed de panis in corpus Christi conversione sermonem esse, ipsis verbis S. Ambrosii ut putabat, haeresim illiam antiquam, quam quidam theologi impanationem vocant, refutavit. S. Thomas Aquinas [2]) vero in Articulo, qui inscribitur: „Utrum haec sit conveniens forma consecrationis panis: Hoc est corpus meum“, laudat S. Ambrosium (De sacram. l. 4.) quod optimo iure comparaverit verba consecrationis cum verbo Creatoris, per quod facta sunt omnia. Simul autem refellit adversarios, qui ex Ambrosiana sententia: „Quis est sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, et factum est caelum; iussit, Dominus, et facta est terra“ colligere se posse contendebant, magis aptam esse formam consecrationis per imperativum: Hoc sit corpus meum quam per affirmationem: Hoc est corpus meum. Doctor Angelicus obiectionem eo dissolvit, quod ostendit, Deum in creatione mundi operatum esse „solum effective, per imperium suae sapientiae“, in consecratione autem „effective et sacramentaliter i. e. secundum vim significationis.“

Verba consecrationis primum ab ipso Salvatore pronuntiata esse S. Ambrosius De mysteriis c. 9 n. 54 docet: „Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum.“

[1]) Cf. Guitmundi, archiepiscopi Aversani, De corporis et sanguinis Christi veritate in Eucharistia, lib. III n. 32: „Beatus sane Ambrosius in libro De sacram. (De myster. c. 9) de his copiose disserens, non in pane et vino corpus et sanguinem Domini latere, sed panem et vinum in corpus et sanguinem Domini commutari docuit ... Audis igitur, quia in aliud commutantur. Et hoc diligenter nota, quia non dixit, ut sint quod erant (scil. panis), sed ut ea quae erant sint (accidentia panis), sed aliud quam erant (corpus Christi).“ Hurter, l. c. vol. 38 p. 153.

[2]) Divi Thomae Aquinatis Summa theologica, pars III qu. 78 art. 2

Statim addit ea etiam in sacrificio Missae pronuntiari, elementorum conversionem efficere, fidelium assensu approbari. Ait enim ibidem: „Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur; post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum . . . Et tu dicis: Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat[1]).“ Et lib. 4 De sacram. c. 4 n. 14: „Tu forte dicis: Meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi . . . Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est et cuius sermonibus? Domini Iesu. Ergo sermo Christi hic conficit sacramentum[2]).“ Idem esse sacramentum quod a fidelibus in S. Communione sumatur et quod verbis Christi conficiatur De mysteriis c. 9 n. 52 sic testatur: „Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur[3]).“

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 339. Cf. Hurter, l. c. vol. 7 p. 85, ubi consuetudinem illorum temporum asserendae verae praesentiae Iesu Christi in ipso momento consecrationis describit. Cf. Perpétuité, l. c. vol. 1 lib. 6 c. 6: „S. Ambroise prétend que l'Amen doit désavouer le doute que l'apparence extérieure pouvait faire naître dans l'esprit. Le Seigneur Jésus, dit-il, nous témoigne que nous recevons son corps et son sang . . . Et c'est en suite de ces paroles qu'il (scil. S. Ambrosius) fait cette réflexion sur l'Amen, comme étant un aveu de la vérité contre laquelle le doute s'élève.“

[2]) Migne, Patr. Lat. 16, 439. Cf. Ibid. c. 4 n. 16 n. 19, necnon totum caput quintum.

[3]) Migne, Patr. Lat. 16, 406. Hic locus S. Thomae Aquin. ansam dedit, ut inquireret: „Utrum ista conversio fiat in instanti,“ Summa theologica, l. c. pars III quaest. 75 art. 7. Adi Perpétuité, l. c. vol. 1 lib. 6 c. 6, ubi corporis Christi verbis consecrationis confecti necnon in S. Communione sumpti identitatem a S. Ambrosio comprobatam esse his exprimitur: „Il paraît par ces mêmes passages (auctor locos ex libris De mysteriis et De sacramentis, quos supra citavimus, in animo habet) que la vérité contenue dans ces paroles Corpus Christi, et attestée par l'Amen, était que ce que l'on recevait à la communion, était le corps de Jésus-Christ.“ Consule etiam Pohle, l. c. tom. 3 ed. 4 (1910) p. 273, qui verba consecrationis sacramentum non modo conficere, verum etiam ad eius formam spectare

Dilucidis tot effatis S. Ambrosius non modo possibilem elementorum conversionem, verum etiam certam esse manifeste profitetur; sed, quod magis est, praeterea eam substantialem quoque esse praedicat, etiam atque etiam affirmans non iam adesse panem post verba consecrationis, sed corpus Christi. Iam vero nunc maxime omnium nostrum interest, novisse eum verbis Iesu Christi vim conversionis attribuisse. Expresse enim docuit, Christi sermone sacramentum confici. Nec tamen praetermittendos putamus alios magni momenti locos, qui sententiam nostram confirment. Huc spectat Enarr. in ps. 38 c. 25: „. . . immo ipse (scil. Christus) offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur[1].“ Rursus De patriarch. c. 9 n. 38: „Hodie dat (scil. Christus) nobis eum (scil. panem), quem ipse quotidie sacerdos consecrat suis verbis[2].“ Nihilominus in eius scriptis quaedam inveniuntur, quae non sermoni Christi, sed invocationi Spiritus S. conversionem tribuere videntur. Lib. enim 3 De Spiritu S. c. 16 n. 112 haec habet: „Quomodo igitur (Spiritus S.) non omnia habet quae Dei sunt, qui cum patre et filio a sacerdotibus in baptismo et in oblationibus invocatur[3],“ necnon lib. 4 De fide c. 10 n. 124: „Nos autem, quotiescumque sacramenta sumimus, quae per sacrae orationis mysterium in carnem transfigurantur et sanguinem, mortem Domini annuntiamus[4].“ Quibus duobus locis S. Ambrosius ἐπίκλησιν, quam vocant, innuisse videtur. Quod ad illud incisum: „per sacrae orationis mysterium“ spectat,

---

docet atque hunc in modum prosequitur: „Wirklich empfangen die eucharistischen Gestalten nur von den virtuell in der Wirkung fortdauernden Wandlungsworten die Bedeutung, daß sie ein ‚sichtbares Zeichen‘ des Leibes und Blutes Christi sowie der durch die hl. Kommunion zu erteilenden Gnadenwirkungen verkörpern: folglich sind die Konsekrationsworte, als moralisch fortwirkend gedacht, die sakramentale Form der Eucharistie.“

[1]) Migne, Patr. Lat. 14, 1052. Minus commode Drews, l. c. p. 412, hanc S. Ambrosii sententiam illustrat dicens: „Dieser Gedanke war wohl mehr eine schriftstellerische Phrase, als daß ihm Ambrosius selbst eine besondere Bedeutung beigelegt hätte.“

[2]) Ed. C. Schenkl, vol. 32, 2 p. 147.

[3]) Migne, Pat. Lat. 16, 803.

[4]) Ibid. 16, 611.

negamus ἐπίκλησιν indicari, immo putamus S. Episcopum verba institutionis prae oculis habere. Hac in re idem sensit quod S. Iustinus M., cuius scripta haud scio an noverit, quique Apolog. I n. 66 ait: „Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλὰ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν (. . . illam, in qua per precem, ipsius verba continentem, gratiae actae sunt, alimoniam)[1].“ Verba Iesu Christi S. Martyr ‚precem‘ vocat, licet secundum suam formam non sint preces. Quapropter „per precem ipsius verba continentem“ seu secundum textum Graecum, qui magis perspicuus est, δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ (scil. Χριστοῦ) elementa convertuntur. Nonne hic modus loquendi illud S. Ambrosii: „per sacrae orationis mysterium“ in memoriam nobis reducit? Itaque existimamus S. Episcopum superiori loco verbis institutionis adscripsisse vim conversionis.

Sed quid de altero loco, quem ex opere De Spiritu S. descripsimus? Nonne ibi „Spiritus S. in oblationibus invocatus“ praedicatur? Verumtamen nihil habemus, cur verba institutionis a S. Ambrosio exclusa esse putemus, cum tandem nihil aliud affirmare voluerit nisi Spiritum S. quoque in S. Eucharistia conficienda suo modo cooperari. Et re quidem vera non solum loco citato („qui cum patre et filio invocatur“), sed etiam lib. 6 De sacram. c. 2 n. 5 ista cooperatio haud obscure innuitur: „In omnibus, quae legimus, servatum est mysterium trinitatis. Ubique Pater et Filius et Spiritus sanctus; una operatio, una sanctificatio, etsi quaedam velut specialia esse videntur[2].“ Quam ob rem Spiritui S. soli S. Episcopum conversionem tribuisse merito inficiari licet.

---

[1]) Migne, Patr. Gr. 6, 428. A. Struckmann, Die Gegenwart Christi in der hl. Eucharistie (Theologische Studien der Leo-Gesellschaft, Wien 1905) p. 48, sic vertit in linguam teutonicam: „Die durch das von ihm herkommende Wort des Gebetes konsekrierte Speise.“ Cf. C. Henke, Die katholische Lehre über die Konsekrationsworte der hl. Eucharistie (Trier 1850) p. 35, ait: „Man bedenke, wie hier Justin die Worte des Herrn ein Gebet nennt, ihnen, obgleich sie formell kein Gebet sind, doch einen Gebetscharakter beilegt.“ Et ibidem: „Eine Anrufung des hl. Geistes, eine *ἐπίκλησις*, ist gar nicht erwähnt. Immerhin mag sie vorhanden gewesen sein, als wesentlich kann sie nicht gelten.“

[2]) Migne, Patr. Lat. 16, 455.

Nolumus tamen affirmare S. Ambrosium diserte quid de ἐπίκλησι sentiret professum esse, unde res manet ambigua[1]). Quod autem ad verba consecrationis pertinet, diserta atque dilucida eius effata nullum dubium relinquunt, quin verbis institutionis vim consecrationis attribuerit[2]). Quod iam inde

[1]) Hoppe, Die Epiklese der griechischen und orientalischen Liturgieen und der römische Konsekrationskanon (Schaffhausen 1864) p. 43: „Zwar redet derselbe Ambrosius, welcher sehr entschieden den ‚sermo Christi' und die ‚verba caelestia' als die das Sakrament wirkende Kraft hervorhebt (De mysteriis), auch von einem ‚mysterium sacrae orationis', wodurch die Transsubstantiation der Elemente bewirkt werde (lib. 4 De fide), ja selbst von einer priesterlichen Invokation des hl. Geistes (lib. 3 De Spiritu s.). Näheres aber, insbesondere auch über die liturgische Stellung der letzteren, erfahren wir nicht." Leviter iudicare censemus eos, qui locum in lib. 4 De sacr. c. 5 n. 21: „Dicit sacerdos: Fac nobis hanc oblationem adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem" putant esse ἐπίκλησιν; nulla enim ibi invenitur invocatio Spiritus S. Cf. Henke, l. c. p. 73. Adi hac de re etiam Kirchenlexikon, 2 ed. IV, 692, necnon Rauschen, l. c. p. 98, qui concedit quidem illud „per sacrae orationis mysterium" ad ἐπίκλησιν pertinere, sed sua sponte adiungit: „An vielen Stellen, besonders in der Schrift De mysteriis, schreibt er den Einsetzungsworten diese Kraft zu. Die Schriften De mysteriis und De sacramentis haben zweifellos viel dazu beigetragen, daß die Lehre von der Konsekration durch die Einsetzungsworte im Abendlande durchdrang."

[2]) S. Thomas Aqu., Summa theologica, pars III qu. 78 art. 4, probat verbis consecrationis inesse „vim creatam effectivam" ex S. Ambrosii lib. 4 De sacr. c. 4 n. 15. Theologus ac philosophus G. G. Leibnitz, Opera theologica (Genevae 1768) p. 674, textu ex S. Ambrosio (De myster. c. 9) fultus ait: „Unde post verba Dominica congrue prolata significatur hoc totum virtute unionis realiter esse quod non erat, adorabilis scilicet Iesus." J. Hardouin, Acta Conciliorum (Parisiis 1704) tom. IX col. 977, decreta Concilii Florentini (1439) afferens, Ioannem de Torquemada O. S. D. loquentem inducit, qui inter celeberrimos auctores verbis Iesu Christi conversionem elementorum attribuentes etiam S. Ambrosium praedicat. Liebermann, Institutiones theologicae (Moguntiae 1824) tom. IV p. 532: „Huc etiam spectant S. Ambrosii apertissima verba . . ., ubi postquam admonuit ex pane post consecrationem fieri corpus Christi, mox docet, quibus verbis consecratio perficiatur." Henke, l. c. p. 41, comparans effata, ubi S. Ambrosius de elementorum conversione disserit, sic concludit: „Ambrosius hat in der zuerst (De myster. c. 9 n. 52, 53) angeführten Stelle die Kraft der Verwandlung deutlich und ausschließlich den Institutionsworten beigelegt. Nach unserer Stelle (lib. 4 De fide c. 10 n. 124) geschieht die Verwandlung

apparet, quia fideles, qui sacrificio intersunt, ubi primum verba consecrationis prolata sunt, statim „Amen“ respondentes inducit („post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est, verum est.“)

3. De comparatione cum Incarnatione instituta.

S. Antistes verbis institutionis allatis, quae formam consecrationis essentialem ex eius sententia continere modo probavimus, animos Neophytorum protinus ad Filii Dei admirabilem Incarnationem convertit. Quidnam ad istam comparationem instituendam eum commovit? Contextus rem dilucidabit. Animadvertens neophytos ad S. Mysterium mente complectendum inhabiles se praebuisse, cum ei clam contradicerent: „Aliud video; quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam?“ elegit tandem exemplum, omnium nobilissimum quod et ad rem demonstrandam aptissimum et ad intellegendum facillimum esset. Cum enim exempla adhuc allata „argumenta“ appellat, nunc promittit se „suum exemplum“ positurum esse i. e. rem, quae accuratiore probatione non indigeat, quippe quae manifeste atque evidenter pateat. Quod eo libentius molitur, cum sibi persuasum habeat neophytos Incarnationem a se iam didicisse. Et re vera in eodem libro De mysteriis iam Incarnationem eos docuerat quam in Vetere Lege iam adumbratam ac veluti prolusam cum „bona nube Patrum nostrorum“ lepide confert [1]).

---

per sacrae orationis mysterium. Soll Ambrosius nicht mit sich selbst im Widerspruch stehen, so muß er unter diesem Gebetsgeheimnis jene Worte verstehen und somit diesen einen mystischen Gebetscharakter zusprechen.“ Praeclare S. Ambrosium celebrat Béguinot, La très sainte Eucharistie, tom. I (Paris 1902) p. 23, ubi etiam operis De mysteriis ratione habita ait: „Les pères comparent la force des paroles eucharistiques à la puissance du Fiat créateur et nous disent, que, de même que ces deux mots: ‚Que la lumière soit!‘ expriment la création de la lumière, cette parole ‚Ceci est mon corps‘ exprime admirablement l'action divine, qui s'exerce sur la substance du pain et du vin, pour la changer en la substance du corps et du sang de Jésus-Christ.“

[1]) De mysteriis c. 3 n. 13: „Audis quia sub nube patres nostri, et bona nube, quae carnalium refrigeravit incendia passionum. Bona nubes obumbrat quos revisit Spiritus sanctus. Denique supervenit in Mariam Virginem, et virtus Altissimi obumbravit ei, quando redemptionem genti genuit humanae.“ Migne, Patr. Lat. 16, 393. Cf. De myster. c. 9 n. 59.

Ast audiamus ipsum: „Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, incarnationisque exemplo astruamus mysterii veritatem. Numquid naturae usus praecessit, cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quaeris, viro mixta femina generare consuevit. Liquet igitur quod praeter naturae ordinem Virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est: quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est: vere ergo carnis illius sacramentum est[2])."

Num S. Ambrosius neophytis qui prima vice de reali Iesu Christi in S. Eucharistia praesentia audiebant, satis persuasit, hoc mysterium cum Incarnatione pati comparationem? Negandum id videtur, cum comparandi modus a S. Antistite adhibitus sit mancus et imperfectus. Verum quidem est, duo comparationis membra poni: in utroque enim casu sine dubio agitur de eximio miraculo. Extra controversiam etiam positum est, S. Doctorem verba institutionis ut causam eucharisticae consecrationis efficientem agnovisse. Merito speraremus tamen, ipsum etiam Incarnationis causam efficientem i. e. auctorem eius allaturum fuisse, quemadmodum S. Iustinus M. in sua Apologia I c. 66 fecit, qui opinatur eam factam esse „διὰ λόγου θεοῦ"[2]) i. e. per Verbum Dei. Quod idem si S. Am-

1) Migne, Patr. Lat. 16, 407. Cf. Rückert, l. c. p. 468: „Einen besonders starken Beweisgrund findet der Verfasser in der evangelischen Geburtsgeschichte. Wie kann man für den Abendmahlsleib auf Naturgesetze zurückgehen wollen, da doch der von Maria geborene Leib, den wir im Abendmahl herstellen (conficimus), praeter naturae ordinem entstanden ist? Hier erscheint sonach, zum ersten Male in der abendländischen Kirche (auctor fallitur, quia iam S. Hilarius Pictaviensis [De trinitate 8, 16. 17] analogiam inter utrumque mysterium statuit, ut Spiritus S. divinitatem comprobaret) und nur andeutend ausgesprochen, der Gedanke: hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est."

2) *Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν. Ἀλλʼ ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν διʼ εὐχῆς λόγου τοῦ παρʼ αὐτοῦ εὐχαριστεῖσαν*

brosius egisset, argumentum eius hoc esset: Idem omnipotens Verbum, quod in Incarnatione naturae leges neglexit, etiam in S. Eucharistia conficienda praeter naturam operatur atque efficit, ut corpus Christi ex Maria Virgine formatum fiat in S. Eucharistia realiter praesens. At consulto, ut videtur, S. Doctor ab hac argumentandi ratione abstinuit, cum satis haberet, si ad omnipotentiam Dei Incarnationem utcunque referret.

Magis explicite auctor operis De sacramentis causam Incarnationis efficientem videtur indicare, cum „sermoni Christi" hoc mysterium tribuat: „Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit et mutet, cum vult, instituta naturae. Quomodo requiris? Accipe, et primo omnium de generatione eius sumamus exemplum. Consuetudo est, ut non generetur homo nisi ex viro et muliere et consuetudine coniugali: sed quia voluit Dominus, quia hoc elegit sacramentum, de Spiritu sancto et Virgine natus est Christus, hoc est, mediator Dei et hominum homo Christus Iesus[1])." Cave tamen ne putes ‚sermonem Christi' hic idem esse ac λόγον θεοῦ apud S. Iustinum, cum ‚sermo Christi' nihil aliud nisi divinam omnipotentiam significet, ponendo concretum pro abstracto.

Et sane hanc ipsam argumentationem haud ineptam esse censemus[2]). Maxime placuit nobis syllogismus quidam occultus,

---

τροφήν. Migne, Patr. Gr. 6, 428. Posterioris aevi est, opus Incarnationis non iam Verbo Dei seu Filio, sed Spiritui S. appropriare. Post Nicaeum I (325) et maxime Constantinopolitanum I (381) haec consuetudo abolevit. Eam S. Ambrosius non amplius sequitur.

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 441 (lib. 4 De sacram. c. 4 n. 17).

[2]) Batiffol (l. c. p. 287) S. Ambrosium huiusmodi argumentationem consulto instituisse, quo magis divinae operationi Incarnatio tribueretur, his exprimit verbis: „Quant à l'opération, elle est un pur miracle, et comment en être surpris? Est-ce que la conception virginale du corps du Christ n'était pas déjà miraculeuse? Le corps du Christ n'est donc point soumis aux lois de la nature. L'opération étant miraculeuse, Ambroise s'en remet à la toute-puissance de Dieu pour la croire possible, et par conséquent une théorie de la conversion est à ses yeux fort inutile: Ambroise se recuse d'en donner une." — Hoppe, quem in ancipiti haerentem circa Epiklesin a S. Ambrosio vel affirmatam vel negatam supra vidimus, l. c. p. 251, exsistimat ex collatione Eucharistiae cum Incarnatione

qui in mente S. Doctoris quasi latitans totam verborum structuram fulcire videtur, perinde acsi dicere vellet: ipsum corpus Christi per Incarnationem ortum est; atqui Incarnatio est opus supernaturale; ergo corpus Christi est opus supernaturale, unde non subiacet legibus naturae. Quo concesso Cardinalis Franzelin exemplum Incarnationis in opere De Mysteriis allatum omnino approbat et ait: „Specialis ratio pro supernaturali hoc ordine operationis et sacramenti apparet in ipso Christi corpore, quod origine sua totum est supra naturam, formatum et natum ex Virgine[1]).“

Complectentes omnia, quae hucusque de elementorum conversione eucharistica diximus, nunc magna cum fiducia statuere possumus, S. Ambrosium collectis undique argumentis, quae apud alios Patres Ecclesiae dispersim hac et illac reperiuntur, non solum ipsam transsubstantiationem si minus verbo, at certe re probasse et agnovisse, verum etiam in eadem stabilienda talibus locutionibus usum esse, ut non multum ab ipsa voce transsubstantiationis abesset. Si terminologiam scholasticam tum temporis nondum aut inventam aut excultam excipiamus, ipsi certe summae laudi tribuendum est, quod primus inter Latinos, ut nemo alius ante ipsum, conceptum conversionis substantialis e salebris eripuit et ita dogmati Tridentino multis saeculis ante viam patefecit[2]).

---

argumentum Epikleseos a S. Episcopo affirmatae nobis praesto esse. Etenim de SS. Iustino, Ioanne Chrys., Ambrosio disserens haec habet: „Die Väter machen uns auch mit dem tiefern Grunde dieses Glaubens (auctor de ‚Wirksamkeit des hl. Geistes in Consecration und Communion‘ verba facit) bekannt, indem sie das Wunder der eucharistischen Transsubstantiation mit dem Wunder der Incarnation parallelisieren.“ Cf. Rauschen, l. c. p. 27 sqq., necnon Oswald, l. c. p. 514. Nihil refert quod Münscher, l. c. p. 387 sqq., laudatam collationem respuit; nam S. Ambrosius non ut Monophysitarum errorem refutaret illo simili usus est, sed ut divinae omnipotentiae virtutem, quae leges naturae a se ipsa sancitas suspendere immo abolere valeret, exemplo comprobaret. A. Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte, vol. II ed. 4 (Freiburg und Leipzig 1909) p. 426, vituperandi causa comparationem illam appellat „Das Ineinander eines sublimen Spiritualismus und eines sinnlichen Realismus“, necnon „Die folgenschwerste Tat innerhalb dieser Entwicklung“.

[1]) Franzelin, l. c. p. 113.

[2]) Heinrich-Gutberlet, l. c. vol. IX p. 592: „Unter den lateinischen Vätern hat besonders der hl. Ambrosius die eucharistische

§ 3. De effatis, quae primo intuitu ambigua esse videntur.

In scriptis S. Ambrosii non desunt effata, quae qui legerit fortasse animo pendebit, sitne certe professus realem Christi in S. Eucharistia praesentiam, cum primo intuitu aliquid aliud exprimere videantur. Imprimis notanda censuimus De mysteriis c. 9 n. 54: „Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur: post consercatinem corpus Christi significatur." Lib. 4 De sacramentis c. 4 n. 20: „Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem: sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis. Lib. 4 De sacram. c. 5 n. 21: „Dicit sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem adscriptam, ratam

---

Wesensverwandlung mit allem Nachdruck hervorgehoben und durch Beispiele aus der Natur und Offenbarung zu erläutern unternommen. Bei ihm finden sich alle Beweise, die meist zerstreut bei den Vätern vorkommen, vereinigt; er übertrifft hierin noch den hl. Iohannes von Damaskus." Adam, l. c. p. 50: „Mit einer bis dahin ungewohnten Klarheit hatte Ambrosius in dieser Katechumenenpredigt die Gegenwart des Leibes Christi auf eine kraft des Konsekrationswortes erfolgende Verwandlung der Brotnatur in die neue höhere Natur des corpus Christi zurückgeführt, also den Metabolismus mit einer jeden Zweifel ausschließenden Deutlichkeit gelehrt." Baunard, l. c. p. 87: „A ces fermes assertions (auctor de libro De myster. c. 8 n. 48 verba fecerat) se joignaient d'admirables considérations, dans lesquelles le docteur présentait la création, l'incarnation et l'Eucharistie comme les actes successifs et gradués d'une parole féconde qui fait tout ce qu'elle dit." Cf. Rauschen, l. c. p. 33. Quantopere S. Ambrosius de notione sacramentalis conversionis excolenda meritus sit audi recentissimum auctorem, Batiffol, l. c. p. 293: „Nous sommes disposés à voir dans l'Ambroise le théologien qui a le premier mis en pleine lumière la notion de conversion miraculèuse, et ainsi préparé la définition de la transsubstantiation". — Quod ad Protestantes attinet, nil mirum, quod communiter negant substantialem conversionem S. Ambrosii testimoniis confirmari. Aliqui eo usque progrediuntur, ut non solum libros De sacram. tamquam spurios, sed etiam totum opus De mysteriis, quod certo certius S. Ambrosii est, tamquam suspectum reiiciant. Alii, ultro citroque certantes, valorem operis saltem imminuunt. Talem obtrectationem vides e. gr. apud Ebrard, l. c. p. 306: „Ambrosius ist der einzige lateinische Vater, welcher die Redeweise Cyrills von einer μεταβολή, einer über Brot und Wein kommenden Kraft, teilt." Sed quis non videt hunc theo-

rationabilem, acceptabilem: quod figura est corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi." Expos. in ps. 38 n. 25: „Umbra in Lege, imago vero in Evangelio, veritas in caelestibus." Lib. 4 De sacram. c. 4 n. 14: „Tu forte dicis: „Meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum." De mysteriis c. 9 n. 58; „In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi: non ergo corporalis esca, sed spiritualis est."

Singulis his effatis investigandis nunc operam dabimus, ut rite intellegamus, quid sibi velint.

I. Et primo quidem quod ad nomen „significandi" attinet, negamus prorsus S. Antistitem de solo signo vacuo ibidem loqui, sed putamus hanc vocem omnino respondere vocabulo „nominandi", quod in priore parte eiusdem sententiae occurrit, vel verbo „appellandi", „dicendi", „pronuntiandi". Isto enim loco S. Episcopus duo apprime momenta distinguit: alterum ante, alterum post consecrationem. In priori, ut nemo non videt, agitur de pane. Sciscitanti autem quomodo id quod

---

logum egregie falli? Constat enim certissime S. Cyrillum Hierosolymitanum una cum S. Ioanne Chrysostomo S. Eucharistiae testes esse inter omnes gravissimos (cf. Val. Schmitt, Die Verheißung der Eucharistie [Joa. VI], Würzburg 1903). Valde leve etiam est, vocem Graecam μεταβολήν vertere in Teutonicam „Kraft". Neque aliter sentit Fr. Loofs, Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche (ed. A. Hauck, Leipzig 1898), vol. I Artikel: Abendmahl, p. 60 sqq., qui etsi haesitans concedit conversionem a S. Ambrosio admissam esse, tamen realem Christi in S. Eucharistia praesentiam ab eo doctam esse negat. En quid dicet: „Es wäre vielleicht nicht ganz undenkbar, daß schon Ambrosius Katechumenen gegenüber sich so verwandlungsmäßig ausgesprochen hätte, als es in den unter seinem Namen gehenden Schriften De mysteriis und De sacramentis geschehen ist." Attamen paucis interiectis prosequitur: „Cyrill von Jerusalem redet ähnlich und die Realpräsenz hat weder der Verfasser von De mysteriis noch der von De sacramentis angenommen." A. Harnack, l. c. vol. III ed. 4 p. 491, negat quidem conversionem in scriptis S. Ambrosii inveniri, concedit tamen theologos scholasticos saec. XI sq. eam ex libris De sacramentis hausisse. — Praeter theologum Rückert, quem iam aliquoties laudavimus, etiam A. Neander, Christliche Dogmengeschichte, I pars (Berlin 1857) in articulo, qui inscribitur „Sinnlich realistische Auffassung" p. 427, Fr. Nitzsch, Dogmengeschichte, I pars (Berlin 1870), p. 395 et V. Schultze in: Handbuch der theolog. Wissenschaften (Nördlingen 1889) vol. III p. 417, nostrae sententiae suffragantur.

post consecrationem est in altari, appelletur — et huiusmodi quaestio neophytis, qui initio capitis noni dubii haerebant: „Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam?“, facile in mentem venire potuit — S. Ambrosius respondet: appellatur corpus Christi. Quapropter nequaquam de signo corporis disserit ibi. Sic rem intellexerunt S. Thomas Aqu.[1]), Bellarminus[2]), auctor Perpetuitatis[3]), Franzelin[4]), Renz[5]), Béguinot[6]); ex theologis praeterea protestantibus Ebrard[7]), qui

---

[1]) Summa theologica, parte III qu. 74 art. 8.

[2]) Controvers. de sacramento Eucharistiae (Ingolstadii 1599) lib. 2 c. 14: „Respondeo: In primis verbis citatis illud ‚significatur‘ idem valet quod ‚appellatur‘ seu ‚dicitur‘. Non enim loquitur de significatione rerum sed vocum; nec docet quid Eucharistia significet, sed quomodo appellatur. Itaque sensus est: ‚Ante benedictionem alia species nominatur‘ id est, panis vocatur id quod est in altari. ‚Post consecrationem corpus Christi significatur‘ id est non amplius panem esse significamus seu dicimus, si quis nos interroget, quid sit in altari, sed corpus Domini esse significamus seu dicimus.“

[3]) Perpétuité, tom. I lib. 6 c. 6 p. 418: „Avant la consécration on donne un autre nom à la matière du Sacrement. Après la consécration on l'appelle du sang.“

[4]) De SS. Eucharistia, l. c. p. 114 verbum „significatur“ explanat addens in textu: „esse pronuntiatur.“

[5]) Die Geschichte des Meßopfer-Begriffs, tom. I (Freising 1901) p. 270: „Vor der Benediktion durch die himmlischen Worte hat die Gestalt einen anderen Namen, nach der Konsekration erhält sie die Bezeichnung Leib.“

[6]) La très sainte Eucharistie, l. c. p. 369, sic vertit in linguam Gallicam: „Avant la bénédiction des divines paroles on parle (on nomme) d'espèce différente, après la consécration on affirme seulement le corps de Jésus-Christ.“

[7]) Das Dogma vom hl. Abendmahl, l. c. p. 307: „Wer hier aus den Worten significatur, nuncupatur herauslesen wollte, das konsekrierte Brot bedeute nur den substantiellen Leib Christi, werde nur so genannt, der müßte auch aus den Worten nominatur und dicitur herauslesen, das noch nicht konsekrierte Brot werde nur species genannt, sei aber mehr; der noch nicht konsekrierte Wein werde nur etwas von Christi Blut verschiedenes (aliud) genannt, sei aber nicht davon verschieden. Offenbar ist erstlich, daß significatur (nicht significat!) mit nominatur ebenso gleichbedeutend gebraucht ist, als nuncupatur mit dicitur; zweitens, daß alle diese verba hier nicht einen Gegensatz von esse bilden, sondern sich durch die Worte: ipse clamat Dominus erklären.“

magna cum diligentia operam dedit, ut quid S. Ambrosius reapse sensisset inquireret, necnon Kahnis[1]), Rückert[2]). Ceterum S. Antistes ipse mentem suam explicat, cum eodem loco paucis intermissis prosequitur: „Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur."

II. Neque aliter interpretandus est, cum altero loco, quem supra citavimus, quoad S. Eucharistiam voce „similitudinis" utitur. Ut sensum melius assequamur, operae pretium est totum locum exscribere: „Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem: sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis; ut nullus horror cruoris sit, et pretium tamen operetur redemptionis[3])." Obicienti se non videre sanguinem, respondetur: similitudinem eius videri. Exemplo baptismi usus, quem „mortis similitudinem" appellat, S. Episcopus satis clare quid cogitet pandit. Ut enim homo ob peccatum primi parentis morti aeternae obnoxius[4]) fit, baptismo

---

[1]) K. Fr. Aug. Kahnis, Die Lehre vom Abendmahle (Leipzig 1851) p. 218: „Ambrosius bekennt die Verwandlung der Elemente in Leib und Blut Christi ..., so daß das, was vor der Weihe nur Gestalt (species) heißt, nach derselben Leib Christi zu nennen ist. Daß hier significare, nuncupare die Realität einschließt, geht schon daraus hervor, daß auch die species, die doch jedenfalls objektiv vorhanden ist, als nominell vorhanden dargestellt wird, und folgt aus dem ganzen Argument unverkennbar."

[2]) Rückert, Abendmahl, l. c. p. 468: „Die hier folgenden Worte: Ante benedictionem etc. würden für sich allein als Zeugnis einer bloß symbolischen Auffassung wohl betrachtet werden können; nach dem aber, was vorausgegangen, ist's unmöglich. Die Stoffe werden vorher so, nachher so genannt oder bezeichnet, nicht als ob sie es nicht seien, denn sie sind das immer wirklich, als was sie genannt werden, sondern von Christus werden sie so genannt, um uns zu lehren, was sie seien, deshalb müssen wir es glauben."

[3]) Lib. 4 De sacr. c. 4 n. 20. Migne, Patr. Lat. 16, 443.

[4]) Hanc sententiam invenimus lib. 2 De sacramentis c. 6 n. 17: „In principio Deus noster hominem fecit, ut si peccatum non gustaret, morte non moreretur. Peccatum contraxit, factus est obnoxius morti, eiectus est de paradiso. Sed Dominus, qui sua vellet beneficia permanere et insidias omnes abolere serpentis, rescindere quoque omne quod nocuit . . . Remedium datum est, ut homo moreretur et resurgeret. Quare? Ut illud quod ante damnationis loco cesserat, loco cederet beneficii. Quid illud est nisi mors? . . . Quia mors interveniens

autem suscepto mortem effugit, ita baptismus mortem nobis in memoriam reducit seu est „mortis similitudo". Atqui in S. Eucharistia, licet substantia vini in sanguinem Christi transeat[1]), tamen species externa vini remanet. Ergo haec species, praesertim si vinum rubri coloris[2]) adhibitum fuerit, sanguinem Christi nobis in memoriam reducit; quocirca, quatenus externa species respicitur, „similitudinem sanguinis" sumimus. Ultro concedimus, simile paululum claudicare, siquidem nexus inter baptismum, ut est „mortis similitudo", et sanguinem Christi, de quo species vini nos commonet, satis laxus est; quapropter annuimus iudicio Hurteri, qui fatetur: „Quare similitudo non est adaequata[3])." At magis perspicua est sententiae pars altera, ubi S. Ambrosius rationem indicat cur Iesus Christus sanguinem suum sub specie vini exhibere voluerit. Ante omnia equidem sollicitus erat Dominus, „ut nullus horror cruoris esset", et sic cautum est ne homines videntes ac gustantes naturalem sanguinem horrore maximo afficerentur neve a S. Communione pavidi refugerent. Attamen, ut prosequitur S. Ambrosius, quia realis Sanguis est, „pretium redemptionis" sumimus. Et sub hoc respectu laudata „similitudo", quia veritatem in se continet, dummodo recte et ad mentem totius eius doctrinae intellegatur, nullam meretur reprehensionem[4]).

---

finem facit peccati . . . sed Christus invenit resurrectionem, id est, ut redintegraret caeleste beneficium, quod fraude fuerat serpentis amissum . . . ne in hoc saeculo diaboli fraus vel insidiae praevalerent, inventum est baptisma." Migne, Patr. Lat. 16, 428.

[1]) Quod a S. Ambrosio certe comprobatum est.

[2]) Quod ad rubrum vinum a Salvatore in Ultima Coena probabiliter adhibitum spectat, consule Oswald, l. c. vol. I p. 553; Schanz, Die Lehre von den hl. Sakramenten der kathol. Kirche (Freiburg i. Br. 1893) p. 384; Perpétuité, l. c. tom. I lib. 1 p. 293.

[3]) H. Hurter, l. c. S. Ambrosii libri VI De sacramentis, p. 50 n. 1.

[4]) In hunc celebrem locum inquisierunt: Algerus, scholasticus Leodiensis saec. XII, De Sacram. corporis et sanguinis Dominici, lib. 1 c. 7: Quare in eucharistia species panis et vini maneant; necnon Gregorius, eppus Bergomensis saec. XII, De veritate corporis Christi, c. 7: De eo quod Ambrosius ait: Sicut similitudinem mortis sumpsisti etc. Utrumque opus vide apud H. Hurter, l. c. vol. 23 et 39. Pulchre rem explicat Bellarminus, l. c. lib. 2 c. 14: „Ad alia verba fateor nos

Ab hac doctrina non multum differt similis locus in Expos. in ps. 118 serm. 14 n. 2, ubi allegorice loquens „rosam" rubei coloris cum sanguine Christi confert: „Quae sunt pascua nostra, hoc est fidelium, nisi Christus? . . . Ipse enim nos pascit et reficit. Bona pascua divina sacramenta sunt . . . Carpis illic rosam, hoc est Dominici corporis sanguinem[1])."

Ceterum ut omne dubium circa hanc materiam evanescat, provocare licet ad S. Augustini celeberrimum dictum, quod in Epist. 98, 9 sic habet: „Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt[2])."

Neque vero putandum est aliquid novi S. Ambrosium suo Marte introduxisse, cum de similitudine sanguinis mentionem iniceret. Etenim iam Anaphora[3]) S. Serapionis, quae tamen difficultatem contra orthodoxam de S. Eucharistia doctrinam nullam facessit, eodem utitur termino, si ibidem 4, 5 legimus: „ὁ ἄρτος οὗτος τοῦ ἁγίου σώματός ἐστιν ὁμοίωμα"; rursus 4, 7: „διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς τὸ ὁμοίωμα τοῦ θανάτου ποιοῦντες"; denuo 4, 9: „προσηνέγκαμεν δὲ καὶ τὸ ποτήριον τὸ ὁμοίωμα τοῦ αἵματος".

---

bibere similitudinem cruoris, sed sub qua veritas contineatur. Docet enim Ambrosius nos non in specie sanguinis sanguinem sumere, ne, ut ipse ibidem dicit, horror esset cruoris, sed in similitudinem sanguinis, id est specie vini quod habet sanguinis similitudinem ipsum sanguinem sumere."

1) Migne, Patr. Lat. 15, 1390. 2) Ibid. 33. 364.

3) A. Baumstark, Die Anaphora von Thmuis und ihre Überarbeitung durch den hl. Serapion (Römische Quartalschrift 1904). Clarissimus auctor allato textu huius antiquissimi Canonis affirmat his tribus locis vocem *ὁμοίωμα* non eodem modo interpretandam esse: primo et tertio loco designari concreta elementa, quae convertenda sunt in S. Eucharistiam (cf. Rauschen, l. c., qui p. 76 tertium locum sic vertit; „Wir haben aber auch den Kelch dargebracht, das Abbild des Blutes."); secundo loco, qui protractus, sic habet: *„τὸν ἄρτον προσηνέγκαμεν καὶ παρακαλοῦμεν διὰ τῆς θυσίας ταύτης·,"* sermonem esse de actione eucharistica, in qua crucis cruentum sacrificium incruento modo restauretur (Rauschen, l. c. p. 75, sic vertit: „Deshalb haben auch wir, indem wir das Abbild des Todes vollziehen, das Brot geopfert und bitten: Durch dieses Opfer versöhne uns etc."). Cf. Baumstark, l. c. p. 124 sq. et p. 139.

III. Consideremus nunc tres alias appellationes figurae, imaginis, panis.

1. Lib. 4 De sacram. c. 5 n. 21 legimus: „Dicit sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem: quod figura est corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi[1].“ Agitur hic de pane et vino Deo oblato et in corpus sanguinemque Christi convertendo, id quod ex toto contextu, in quo auctor partem Canonis verba consecrationis antecedentem ad verbum exprimit, satis apparet. Itaque non corpus et sanguis, sed panis et vinum ante consecrationem „figura“ vocantur. Sed quorsus haec? Primo coniectare licet, auctorem ideo panem et vinum ‚figuram‘ corporis et sanguinis appellasse, quia tametsi ipsam veritatem in se non contineant tamen similitudinem quandam cum S. Eucharistia, quae est nutrimentum animarum, prae se ferant. Deinde suspicamur, auctorem illius aevi morem secutum de typis quibusdam Veteris Testamenti, inter quos manna et aqua de petra eminent, nos commonefacere voluisse, praesertim cum alibi quoque sine ulla dubitatione hos typos etiam ‚figuras‘ vocare consueverit. Ait enim De mysteriis c. 8 n. 49: „Haec (scil. manna et aqua de petra) autem in figura facta sunt nostra. Cognovisti praestantiora; potior est enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de caelo[2].“

At etiamsi ipsam S. Eucharistiam apellavisset „figuram“, tamen nulla inde oreretur difficultas; tum enim „figura“ ipsi „veritati“ opponeretur, ita ut ambiguitatis S. Ambrosius argui non posset. Postquam enim capite VIII De mysteriis ideo de manna et aqua de petra verbo fecit, ut cap. IX eo clarius resplendesceret excellentia Sanctissimi Sacramenti, nonne iure meritoque S. Eucharistia adimpleta figura dici potest[3])?

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 443. Cf. Hurteri, l. c. vol. 37, ad citatum locum adnotationem, necnon ibidem vol. 23 p. 45.

[2]) Migne, Patr. Lat. 16, 405. Consule Pohle l. c. vol. III ed. 4 p. 204 qui laudatum locum sic explicat; „Nach Vorführung alttestamentlicher Typen, wie des Mannas und des von Moses aus dem Felsen geschlagenen Wassers, verlangt er (scil. S. Ambrosius) für das Antityp reicheren und volleren Inhalt.“

[3]) Cf. Liebermann, l. c. tom. IV p. 472: „Dantur utique figurae, quae veritatem ipsam non continent, ut de veteris Testamenti figuris

2. Expos. in ps. 38 n. 25: „Primum igitur umbra praecessit, secuta est imago, erit veritas. Umbra in Lege, imago vero in Evangelio, veritas in caelestibus. Umbra Evangelii et Ecclesiae congregationis in Lege, imago futurae veritatis in Evangelio, veritas in iudicio Dei. Ergo quae nunc celebrantur in Ecclesia, eorum umbra erat in sermonibus prophetarum: umbra in diluvio, umbra in Rubro mari, quando baptizati sunt Patres nostri in nube et in mari: umbra in petra, quae aquam fluxit, et populum sequebatur. Nonne illud in umbra erat sacrosancti huius mysterii sacramentum? Nonne in umbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, quae fugientes se populos sequebatur, ut biberent et non sitirent, redimerentur et non perirent? Sed iam discessit umbra noctis et caliginis Iudaeorum, dies appropinquavit Ecclesiae. Videmus nunc per imaginem bona, et tenemus imaginis bona[1]." S. Antistes, ut liquet, rationem habens verbi S. Apostoli (Ad Hebr. 10, 1) inter diversas Dei

---

liquet; sed datur etiam figura, quae veritatem continet. Hinc quando certis argumentis constat, Patres, qui eiusmodi voces figurae aut typi adhibent, omnino persuasos esse corpus Christi in Eucharistia substantialiter contineri; tunc certe obscurum esse non potest, eam ab illis figuram intellegi, quae rem ipsam includat." Adi etiam Theologiam Wirceburgensem l. c. tom. IX p. 334 quae Tertulliani lib. 4 Contra Marcionem c. 40 notionem „figurae" explicat atque imprimis illud effatum: „figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus." Similia habet Franzelin, l. c. p. 140, qui de laudata „figura" sic sentit: „Figura corporis Christi h. e. figura adimpleta corporis, seu corpus antitypum. Eucharistia per figuras veteris testamenti protendebatur, estque earum significationis obiectum et πλήρωμα." Rauschen, l. c. p. 23, ait: „Paschasius Radbertus im 9. Jahrhundert hat das Verdienst, zum erstenmal klar zwischen ‚veritas' und ‚figura', d. h. zwischen Wahrheit und Bild, oder zwischen Wesen und Gestalten in der Eucharistie unterschieden zu haben."

[1]) Migne, Patr. Lat. 14, 1051. Cf. lib. 1 De officiis c. 48 n. 238: „Umbra in Lege, imago in Evangelio, veritas in caelestibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur et vitulus, nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem; et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat: hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud patrem pro nobis quasi advocatus intervenit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, ubi plena perfectio; quia perfectio omnis in veritate est." Migne, Patr. Lat. 16, 94.

in Antiqua Lege, in Novo Testamento, in caelo manifestationes distinguit affirmans Deum in umbra, in imagine, in veritate se manifestare. Quia nos nunc de altero momento agimus, inquiramus necesse est quo sensu „imaginem“ acceperit. Ex contextu patet de S. Eucharistia sermonem ibi esse, quam et a figuris Antiquae Legis et ab immediata Dei in caelis visione, cognitione, possessione certo differre dicit. Sed quamnam distinctionem S. Ambrosius statuit? Praetermittimus modo figuras, quia quatenus ad S. Eucharistiam praenuntiandam inserviebant, eas iam supra investigavimus; respicimus tantummodo relationem „imaginis“ (scil. S. Eucharistiae) ad „veritatem“ (scil. Iesum Christum nunc in caelo ad dexteram Patris sedentem) seu uno verbo quaerimus cur S. Eucharistia „imago“ vocetur. Haec denominatio repetitur ex hoc, quod Salvator in SS. Mysterio sub aliena specie (scil. panis et vini) absconditur, dum in caelo sub propria sua specie sine ullo velamine versatur: quapropter hisce in terris, cum sit sub speciebus panis et vini velatus, tantummodo ope specierum oculis videtur, et sub hoc respectu dici potest imago, sed utique veritatis, quae in caelo plenissime se manifestat. Haec tamen „imago“ non est inanis et vacua, sed e contra ipsa veritate plena. Legimus enim ibidem: „Videmus nunc per imaginem bona, et tenemus imaginis bona.“ Quapropter distinctio a S. Episcopo inter „imaginem“ et „veritatem“ facta non tangit ipsam substantiam seu praesentiam corporis et sanguinis Iesu Christi[1]), sed dumtaxat modum

[1]) Bellarminus, l. c. lib. 2 c. 14: „Ambrosius distinguit imaginem a veritate, non quoad substantiam seu praesentiam rei, sed quoad notitiam: nunc enim habemus Christum, sed signis et imagine velatum; in coelo videbimus sine ullo signo facie ad faciem.“ Cf. Theolog. Wirceburg., l. c. tom. IX p. 335: „Post consecrationem adhuc subinde ‚imago‘ corporis et sanguinis Christi dicitur Eucharistia, . . . quia offertur sub aliena specie; haec autem oblatio non cuicumque veritati opponitur, sed veritati sub propria specie manifestatae, quae nonnisi in caelestibus est.“ Consule etiam Perrone, l. c. tom. VI p. 188 sq., qui sententias Patrum interdum ambiguas ad octo classes reducit et, quod ad ‚imaginem‘ attinet, S. Eucharistiam sic appellari posse ideo dicit, quia Christus in ea sub alienis speciebus lateat.“ Renz, l. c. p. 271, in locum laudatum inquirens haec habet: „Ambrosius sagt, das alttestamentliche Sakrament, das Wasser aus dem Felsen, welches das Blut aus Christus vorgebildet und

diversum sese manifestandi. Nude et clare igitur Incarnatus Filius Dei tantum in caelo Sanctis se manifestat; in S. Eucharistia vero fide percipitur. Cf. l. c. n. 26: „Ascende ergo homo, in caelum et videbis illa, quorum umbra hic erat vel imago . . . Videbis aeternum atque perpetuum sacerdotem, cuius hic imagines videbas: Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthaeum, Thomam [1]).“

3. Nunc de appellatione „panis“ pauca dicamus Legimus lib. 4 De sacram. c. 4 n. 14: „Tu forte dicis: Meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum [2]).“ Quid panem intellexerit, aperte pronuntiat ibidem lib. 6 c. 1 n. 4, ubi explicans versum Io. 6, 41 ait: „‚Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.‘ Sed caro non descendit e coelo, hoc est carnem in terris assumpsit ex Virgine. Quomodo ergo descendit panis e coelo et panis vivus? Quia idem Dominus noster Iesus Christus consors est et Divinitatis et corporis; et tu qui accipis carnem, divinae eius substantiae in illo participaris alimento [3]).“ Iterum De paradiso c. 15 n. 76: „‚Vivo

---

dem den himmlischen Gütern entfliehenden Volke nachgelaufen sei, damit niemand verloren gehe und dürste, sei der Schatten (umbra) für die zukünftigen Güter des Himmels gewesen; wir hätten das Bild für diese Güter und die Bildgüter, da der Schatten gewichen und der Tag der Kirche erschienen.“ Batiffol, l. c. p. 292 sq.: „On voit que saint Ambroise distingue l'ombre, qui est donnée par l'ancienne loi, l'image par l'Évangile et l'Église, la verité par le ciel: le fidèle voit les réalités divines ‚per speculum‘, et tel est le sens du mot image. Mais l'image n'est pas vide et irréelle.“ E contra Loofs, Realenzyklopädie, l. c. tom. I³ Art. Abendmahl II: „Die wirkliche Gegenwart des wirklichen Leibes und Blutes Christi hat er nach seinen echten Schriften nicht angenommen: das eucharistische Opfer ist imago veritatis.“ S. Ambrosius, imprimis in libris De officiis (lib. 1 c. 49), laudatam „imaginem“ etiam ad vitam christianorum mystice refert, quam vitae Iesu Christi imaginem esse debere ait. Pulchre hac de re disserit Pruner, l. c. p. 47, laudans virtutes, quibus vitam hominis exornatam esse oporteat: „An einem jeden Menschen soll im Erdenleben immer klarer und ungetrübter das Bild der Tugend, des Lebens Christi, das Nachbild Gottes offenbar werden, nachdem er von den Trugbildern und Eitelkeiten irdischer, leidenschaftlicher und sündhafter Bestrebungen sich losgemacht hat, bis im Himmel das Bild in die volle Wahrheit übergeht.“

[1]) Migne, Patr. Lat. 14, 1052. [2]) Ibid. 16, 439. [3]) Ibid. 16, 455.

autem non iam ego, sed vivit in me Christus', hoc est, vivit panis ille vivus, qui venit e coelo, vivit sapientia, vivit gratia, vivit iustitia, vivit resurrectio[1])." Cum S. Doctor allegatis locis ipse perspicuam praebeat „panis" explicationem quasi digito indice monstrando Filium Dei, qui de se ipso professus sit: „Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi", non est cur in illis investigandis diutius versemur. At enim non praetermittendam putamus obiectionem supra ipsi sibi factam: „Sed caro non descendit e coelo, hoc est carnem in terris assumpsit ex Virgine. Quomodo ergo descendit panis e coelo?" Quasi vero diceret: Iesus Christus in promissione S. Eucharistiae (Jo. 6) affirmavit se ipsum scil. Deum et hominem in una persona, esse „panem qui de caelo descenderit"; attamen constat „carnem non descendisse de caelo", cum haec assumpta sit in terra ex Virgine; ergo Iesus Christus in S. Eucharistia praesens non dicendus est ille „panis de coelo" significatione verborum promissionis. Quam a se ipso fictam difficultatem S. Ambrosius ita solvit ut dicat Iesum Christum esse „consortem Divinitatis et corporis" i. e. et divina et humana natura praeditum eumque eos, qui s. Communionem accipiant non modo divinitatis sed etiam humanitatis suae participes facere.

Quid de hac difficultatis dissolutione sentiendum? S. Episcopus demonstrandum sibi proposuerat S. Eucharistiam merito vocari posse „panem de caelo", licet caro seu humana natura, quae ad S. Eucharistiam etiam pertinet, non descendisset de caelo. Hoc vero ideo sibi obiecerat quia humanitatem Christi ab Eucharistia ex toto abesse facile quempiam sibi opponere posse existimabat. Sed pace tanti viri dictum sit, nobis dissolutionem hanc minus placere. Idem enim quod in una ex praemissis affirmaverat (scil. „caro non descendit e coelo, hoc est carnem in terris assumpsit ex Virgine"), in conclusione repetiit dicens Iesum Christum Deum esse et hominem (ait enim: „Idem Dominus noster Iesus Christus consors est et Divinitatis et corporis"). Pro modulo nostro opinamur

---

[1]) Corpus Scriptorum Eccl. Lat., vol. 32, 1 ed. C. Schenkl, p. 335. Cf. J. Kellner, Ambrosius, Bischof von Mailand, als Erklärer des A. Testamentes (Regensburg 1893) p. 92.

auctorem difficultatem felicius expediturum fuisse, si hoc modo argumentatus esset: Verum quidem est descendisse de coelo Filium tantummodo cum divina natura, attamen Iesus Christus promissionis verba faciens utrumque momentum, cum descensionis de coelo tum S. Eucharistiae institutionis, in mente certe habuit. Quod ex contextu biblico dilucide apparet; Jo. enim 6, 48 sqq. et de se ipso coram audientibus praesente et de pane „de caelo descendente" idem pronuntiat profitens haec: ‚Ego sum panis vitae . . . Hic est panis de caelo descendens . . . Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.' Et haec quidem hactenus.

Ceteroquin dubitare non possumus quin S. Doctor „panem", de quo verba fecit, ipsam S. Eucharistiam intellexerit. Neophytis enim se accommodans qui post factam consecrationem speciem panis sensibus nequaquam mutatam attoniti admirabantur (cf. De myster. c. 9), opinionem eorum licet falsam non protinus refutare festinabat, sed sapientis paedagogi instar a re sensibili ad ea quae sensibus comprehendi non possunt placide progrediebatur. Quapropter exorsus a vulgari pane, quem ad altare apportaverant, edocebat eos quae consecratione peracta sub specie eius laterent. Sic palam eis dixit: „Panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi." Quid disertius edici potuit ad vulgaris panis nomen a corpore Christi arcendum[1])?

---

[1]) Bene S. Eucharistiam panem a Patribus Ecclesiae appellatam esse, Perrone l. c. vol. 6 p. 188, docet: „Vocant panem, quia est panis animae; quia est ex pane; quia prae se fert species panis; non quod censuerint in ea manere substantiam panis." Non soli nomini vel vocabulo, sed potius eius sensui adhaerendum esse monet Liebermann, l. c. tom. 4 p. 472, sic: „Multum opinione sua fallitur, qui ex solis his vocibus (panis), quae fuerit Veterum sententia, colligit; non enim ex iis vocabulis Sanctorum Patrum circa Eucharistiam fidem, sed potius ex eorum fide cognita perspectum habemus vocabulorum sensum." Cf. Theolog. Wirceburg., l. c. tom. 9 p. 335: „Eucharistia etiam post consecrationem aliquando ‚panis' appellatur, quia est panis non materialis, sed spiritualis sive quia corpus Christi nutrimentum est animae; quia remanent species panis; ratione materiae, quae in Christi corpus est conversa." Quodsi S. Ambrosius supra dictis denominationibus: signum, similitudo, figura, imago, panis merum signum etc. S. Eucharistiae et nihil amplius exprimere voluisset, non

Ceterum ut omnis dubitatio dispellatur quid nomina signi, similitudinis, figurae, imaginis, panis S. Ambrosius intellexerit, audiamus quid ipse in suo opere De mysteriis c. 4 n. 25 breviter disputet: „Speciem autem et pro veritate accipiendam legimus et de Christo: ‚Et specie inventus ut homo‘, et de Patre Deo: ‚Neque speciem eius vidistis‘ [1]).“ Exinde liquet S. Doctorem, quamvis externam S. Eucharistiae speciem non neglegeret, tamen veritatem ac realitatem intrinsecus latentem nequaquam posthaberi voluisse, quam auditoribus inculcare numquam desistebat.

IV. Restat adhuc una eaque ultima obiectio quam nullatenus parvi pendendam putamus. De mysteriis c. 9 n. 58 S. Ambrosius de S. Eucharistia ita docet: „In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi: non ergo corporalis esca, sed spiritalis est. Unde et Apostolus de typo eius ait: ‚Quia patres nostri escam spiritalem manducaverunt, et potum spiritalem biberunt‘; corpus enim Dei corpus est spiritale: corpus Christi corpus est divini Spiritus, quia Spiritus Christus, ut legimus: ‚Spiritus, ante faciem nostram Christus Dominus.‘“ Nemo non videt de spirituali quadam praesentia Christi hic esse sermonem. Quaeritur cur tanta cum emphasi de ea loquatur. Ratio sine dubio fuit, quod rectae in S. Eucharistiam fidei suae argumentum affere volebat. Multum enim sua intererat, impedire quominus auditores durius atque crassius, rusticorum incultorum more, de hoc cibo iudicarent. Quapropter sententiae paucis ante pronuntiatae, quae huc redibat:

---

solum ipse sibi prae tot dilucidissimis aliis suis effatis adversatus esset, sed etiam a S. Eucharistia dignitatem mysterii, quam permultis locis laudavit, abiudicavisset. Pulchre doctissimus Leibnitz: „Quamvis hoc sit mysterium super superlative magnum, ut tamen argute contra Calvinianos argumentatur, si mysterium consistat in figura, instar hederae pro vino vendibili, mysterium est nullum: ita ego similiter applico, si praesentia non tantum credatur, sed pariter modus intellegatur, mysterium aut est nullum aut parvum.“ (Leibnitz, l. c. p. 675.)

[1]) Non omittendam censemus optimam germanicam versionem huius loci a Fr. X. Schulte [Bibliothek der Kirchenväter, ed. V. Thalhofer], Kempten 1871, tom. I p. 210, concinnatam: „Übrigens kann auch unter der äußeren Gestalt wesenhafte Wahrheit sich bergen, wie wir das von Christus annehmen müssen etc.“

„Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est . . . Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est", nunc addit profundiorem explicationem: non de cruenta et capharnaitica, sed de incruenta et spirituali manducatione carnis se loqui. Inconsulto autem Paschasius Radbertus Ambrosii dictum: „caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est" ita pressit, ut proprio Marte particulam „plane" adderet, quo facilius identitatem corporis sacramentalis cum corpore historico in Palestina olim versante exaggeraret. In quo modum excessit. Etenim corpus Christi historicum a corpore eius eucharistico, non obstante utriusque identitate, si minus re, at certe modo differt. Quodsi in investigando modo, quo Iesus Christus in S. Eucharistia praesens est, etiam eorum S. Ambrosii effatorum, quae ad spirituale corpus spectant, rationem habuisset, ipse facili negotio sibi persuasisset, S. Doctorem de SS. Mysterio eo praecipue fine spiritualiter sensisse, ne post tot argumenta pro reali praesentia allata naturalem magis quam sacramentalem existendi modum inculcare videretur[1].

Modum igitur supernaturalem, sensibus humanis impervium, spirituum naturae analogum S. Episcopus in S. Eucharistia praedicat, quam cum sit „corpus Dei" et „corpus divini Spiritus non aliter nisi πνευματικῶς intellegi oportere manifestum est.

---

[1]) Quantopere Paschasius Radbertus a S. Ambrosio dependeat, videre licet in eius libro De corpore et sanguine Domini, c. 1 n. 2: „Patet quod nihil extra vel contra Dei velle potest, sed cedunt illi omnia omnino. Et ideo nullus moveatur de hoc corpore Christi et sanguine, quod in mysterio vera sit caro et verus sit sanguis, dum sic voluit ille qui creavit, et quia voluit, licet in figura panis et vini maneat, haec sic esse omnino, nihilque aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt: et, ut mirabilius loquar, non alia plane quam quae nata est de Maria et passa in cruce et resurrexit de sepulcro (Ambros.). Quod si minus alicui quam dicimus credibile videtur, attendat universa Veteris ac Novi Testamenti miracula, quae contra naturae ordinem ob fidei firmitatem a Deo gesta sunt, et videbit luce clarius quod Deo nihil impossibile sit, dum omnium esse Dei voluntas est, et quidquid voluerit Deus, hoc singula sunt." Migne, Patr. Lat. 120, 1269. Hac de re consule Pohle, l. c. tom. III ed. 4 p. 192.

Nec minus apte manna et aquam de petra, quibus Deus Hebraeos in deserto commorantes mirabiliter refecerat, „escam spiritalem“ et „potum spiritalem“ appellavit, cum istos typos ad S. Eucharistiam, quae animae est cibus, procul dubio referret. Quam ob rem lib. 5 De sacram. c. 4 n. 24 quartam precem Orationis Dominicae, quae est: „Panem nostrum quotidianum da nobis hodie“, ad eucharisticum corpus Christi referens hunc in modum prosequitur: „Non iste panis est, qui vadit in corpus: sed ille panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit[1]).“ Quatenus igitur S. Eucharistia animae nutrimentum est, optimo iure „esca spiritualis“ vocari potest.

Ex dictis abunde constat spiritualem praesentiam, quam S. Episcopus profitetur, reali praesentiae non adversari, cum nil aliud significet nisi realis corporis spiritualem exsistendi modum, qua in re S. Ambrosius cum gravissimis S. Eucharistiae testibus S. Cyrillo Hierosolymitano et S. Ioanne Chrysostomo consentit. Prior enim in IV mystagogica catechesi in Joa. VI, 53 voci „σαρκοφαγία“ adverbium „πνευματικῶς“[2]) expresse opponit, ut omnem crassum modum intellegendi carnem Christi excludat; posterior in Homilia XLVII in Ioa. 6, 63 haec habet: „πνευματικῶς δεῖ τὰ περὶ ἐμοῦ ἀκούειν . . . ὁ γὰρ σαρκικῶς ἀκούσας, οὐδὲν ἀπώνατο, οὔτε χρηστόν τι ἀπέλαυσε[3]).“

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 452. [2]) Migne, Patr. Gr. 33, 1099.

[3]) Ibid. 59, 265. Cf. Val. Schmitt, l. c. pp. 5 sqq. et 41 sqq. Rectis verbis utitur Béguinot, l. c. tom. I p. 369, cum capiti IX De mysteriis, ubi de „esca spiritali“ sermo est, hunc quasi titulum inscribit: „C'est le corps glorifié du Christ, ce corps éxistant à la mode des esprits, qui est dans l'Eucharistie.“ Neque minus apte ipsa S. Ambrosii verba in linguam Gallicam vertit: „Car le corps de Jésus est un corps spirituel (comme les corps des justes ressuscités). Car le corps de Jésus-Christ est (l'oeuvre) du divin Esprit.“ Causam cur S. Ambrosius sic locutus sit Schanz, Die Lehre von den hl. Sakramenten der kathol. Kirche (Freiburg i. Br. 1893) p. 345, hisce indicat: „Der Grund liegt klar zu Tag: es soll nach Joh. 6 die sinnliche Auffassung abgewiesen werden.“ Cf. etiam Liebermann, l. c. tom. IV Argumentum praescriptionis p. 472, necnon Perrone, l. c. tom. VI. Eadem veritas (scil. realis praesentiae) ex constanti et universa Ecclesiae traditione evincitur, pp. 189 sq. et 192. Hinc recte infert Franzelin, l. c. p. 114 n. 1: „Corpus spirituale nominant Patres etiam alii non pauci, non solum eo sensu quo Apostolus I Cor. 15, 44 corpus ‚spirituale‘ dixit, sed

Hisce operis nostri primam concludentes partem probasse nos putamus S. Ambrosium realem Iesu Christi in S. Eucharistia praesentiam certe professum esse. Nunc de vero animae cibo, qui in hoc SS. Mysterio continetur, dicendum est.

Caput II.

De vero animae cibo, qui in S. Eucharistia continetur.

Lectorem operum S. Ambrosii vix effugiet summum illud studium, quo ad sumendum cibum eucharisticum animos auditorum inflammabat. Quod ut nobis persuadeamus, tribus paragraphis totam materiam absolventes statuemus primo cibi eucharistici notionem apud S. Ambrosium (§ 1a), deinde inquiremus in relationem, quam inter Veteris Testamenti figuras et cibum eucharisticum intercedere docuit (§ 2a), tertio examinabimus dispositiones, quas in S. Eucharistiae subiecto requisivit (§ 3a).

§ 1. De notione cibi eucharistici apud S. Ambrosium.

Iam ex nominibus, quae S. Doctor S. Eucharistiae imponit, concludere licet, quanti cibum eucharisticum aestimaverit. Quid enim ad persuadendum accomodatius esse potest huiusmodi effatis: „Est cibus refectionis, est cibus sanguinis“ (lib. 7 Expos. evang. sec. Luc. n. 51)[1]; cibus Christi, cibus corporis Dominici“ (Expos in ps. 118 serm. 15 n. 28)[2]; „mensa mystica, mensa illa venerabilis“ (De Elia et

ratione modi exsistendi sacramentalis.“ Locum laudatum his declarat verbis: „Quamvis sit corpus Christi ipsum, quod natum est ex Virgine, tamen est in alio statu in Eucharistia quam in connaturali suo exsistendi modo.“ Adi pariter Theolog. Wirceburg., l. c. tom. IX p. 336 n. 271, et Oswald, l. c. tom. I p. 555 n. 5. Heinrich-Gutberlet, l. c. tom. IX p. 629, ait: „Jedenfalls ist die Mißdeutung der Sakramentarier, welche aus dieser geistigen Gegenwart des Herrn eine symbolische, metaphorische machen wollen, ausgeschlossen, da der Glaube der Liturgien und Väter, welche solche Ausdrücke gebrauchen, über allen Zweifel erhaben ist . . . . Jedenfalls können wir die Gegenwart des Herrn im Sakramente nur nach Analogie der Gegenwart der Geister denken.“

[1]) Corpus Script. Eccl. Lat., vol. 32, 4 ed. C. Schenkl, p. 316.

[2]) Migne, Patr. Lat. 15, 1420.

ieiunio c. 10)[1]; „mensae caelestis alimonia" (lib. 6 Expos. evang. sec. Luc. n. 71)[2]; „convivium caeleste" (Expos. in ps. 118 serm. 8 n. 48)[3]), „mysterium caeleste" (lib. 1 De excessu satyri n. 46)[4])? Nemo non videt S. Ambrosium de vero cibo ore fidelium sumendo verba hic facere. Sicut enim in mensa domestica ponuntur alimoniae, ita in convivio parantur cibus et potus. Quo vero altiorem dominus epuli obtinet locum, eo maiorem meretur aestimationem eorum, quos ad se invitat. Bene igitur S. Doctor de „venerabili" et „caelesti mensa seu convivio" loquitur, quandoquidem conditor instructorque convivii est ipse Iesus Christus, „qui carnem suam nobis dedit[5])." „Sicut enim caro Domini vere est cibus, ita sanguis vere noster est potus" (In Luc. lib. 8 n. 51)[6]). Et: „Tunc utique paratus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas Domini Iesu" (In ps. 118 serm. 8 n. 48)[7]).

Lib. 1 De Cain et Abel c. 5 cibum eucharisticum hisce pulcherrimis praedicat verbis: „Vis manducare, vis bibere? . . . Audi hortantem, audi cantantem Ecclesiam . . .: ‚Manducate, proximi mei, et bibite et inebriamini, patres mei'. Sed haec ebrietas sobrios facit; haec ebrietas gratiae, non temulentiae est. Laetitiam generat, non titubantiam. Nec verearis ne in convivio Ecclesiae aut grati odores tibi aut dulces cibi aut diversi potus aut convivae nobiles desint aut decentes ministri. Quid Christo nobilius, qui in convivio Ecclesiae et ministrat et ministratur? Istius convivae recumbentis annecte te lateri ac te Deo coniunge; non fastidias mensam quam Christus elegit . . .[8])" En convivii imago, quam S. Ambrosius expressit; convivii cibo, potu deliciarumque omni genere, insuper Iesu Christi praesentia exornati, qui „ministrat" i. e. se manducandum praebet, et „ministratur" i. e. ad instar cibi sumitur; convivii S. Communionem haud inepte illustrantis.

Alio loco cibum eucharisticum cum pascuis, in quibus grex pascitur atque alitur, comparat. Huius comparationis occasionem

---

1) C. Schenkl, vol. 32, 2 p. 429. 2) Ibid. vol. 32, 4 p. 261.
3) Migne, Patr. Lat. 15, 1314. 4) Ibid. 16, 1306.
5) C. Schenkl, vol. 32, 2 p. 147. 6) Ibid. vol. 32, 4 p. 316.
7) Migne. Patr. Lat. 15, 1314.
8) Ed. C. Schenkl, vol. 32, 1 p. 355 sqq.

sumpsit ex etymologica interpretatione litterae hebraicae „Nun", quam „Pascua eorum" vertere ei placuit. Verum quidem est eiusmodi interpretationem novam atque inconsuetam esse, cum inter litteram „Nun" et inter „Pascua eorum" secundum nostram quidem sententiam relatio adsit nulla. At S. Ambrosius eam invenisse eo putavit quod litteram „Nun" ex vocabulo hebraico נְוֹה, quod Ps. 22, 2 (In loco pascuae ibi me collocavit) occurrit, repetiit[1]. Accedit quod eadem littera hebraica quattuordecimo octonario i. e. quattuordecimae strophae Psalmi 118, cuius expositionem fecit, inscribitur. Expos. igitur in Ps. 118 serm. 14 n. 2, allegorica methodo usus, vocabulum pascua ad cibum eucharisticum refert, quem animae nutrimentum esse his exprimit verbis: „Quae sunt pascua nostra, hoc est, fidelium, nisi Christus? In cuius pascuis se locatum Propheta laetatus est dicens: ‚In loco pascuae ibi me collavit'. Ipse enim nos pascit et reficit. Bona pascua divina sacramenta sunt . . . Carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem[2]." Eodem igitur modo quo superius dictum est Iesus Christus ipse cibum suppeditat fidelibus seu ipse semet praebet manducandum; itaque „bona pascua divina sacramenta sunt". Allegorice quoque flores pascuorum interpretando rosas rubri coloris, quae ibi nascuntur, S. Ambrosius perbelle cum sanguine Christi contulit.

---

[1]) Quam mira et singularis sit interpretatio litterae hebraicae Nun, J. Kellner (Der hl. Ambrosius als Erklärer des Alten Testamentes [Regensburg 1893] p. 47) sic monet: „Ein strenger Kritiker müßte freilich vieles über Bord werfen. Denn wer die Entstehung der Buchstaben kennt, muß sagen, sie sind aus der Zeichnung sinnlicher Dinge entstanden; sinnliche und materielle Dinge bezeichnet daher auch ihr Name, darum nichts Abstraktes, nichts Übersinnliches . . . Man kann auf das richtige Etymon zurückgehen, dennoch aber zu einem ganz anderen Sinne gelangen. Immerhin muß man den Scharfsinn des Heiligen rühmend anerkennen, der oft so Überraschendes zu schaffen weiß. Daß dabei manches zu künstlich ist, läßt sich leicht denken, aber gewiß auch entschuldigen." Eodem loco auctor etiam aliarum litterarum hebraicarum interpretationem, quae in laudata Expositione invenitur, strenuo affert. Magna cum diligentia V. Thalhofer, Erklärung der Psalmen, ed. 6 a P. Schmalzl confecta (Regensburg 1895) p. 773 sqq., in singula octonaria Psalmi 118 inquirit, sed ab interpretatione litterarum hebraicarum desistit.

[2]) Migne, Patr. Lat. 15, 1390.

Ut vero finem convivii eucharistici cognoscamus, edocemur, epulum hoc ad animas nostras enutriendas inservire. De myster. c. 9 n. 58 ita sentit: „Denique cor nostrum esca ista confirmat, et potus iste laetificat cor hominis[1]).“ Haec notio cibi animum eius tanta vi occupat, ut vel ipsam lectionem Sacrae Scripturae, quae s. Communionem fidelium praecedebat, mystica significatione „apostolicum cibum“ [2]) nuncupet.

§ 2. De relatione, quam inter V. Testamenti figuras et cibum eucharisticum intercedere docuit.

Ut iam supra vidimus, S. Ambrosius praesertim duas Antiquae Legis figuras, scil. manna et „aquam de petra“, ad cibum eucharisticum refert, cuius praestantiam atque efficacitatem summis effert laudibus. Non modo in opere De mysteriis, ubi neophytis sacramentorum praecepta ex professo tradit, sed etiam aliis multis locis hanc rem tractat; quapropter utriusque ordinis rationem habebimus.

A. Quomodo in libro De mysteriis neophytis manna et „aquam de petra“ explicaverit.

I. De mysteriis c. 8 n. 47 sq. S. Antistes manna his praedicat verbis: „Revera mirabile est quod manna Deus pluerit patribus, et cotidiano caeli pascebantur alimento. Unde dictum est: ‚Panem angelorum manducavit homo‘. Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt: ista autem esca quam accipis, iste panis vivus qui descendit de caelo, vitae aeternae substantiam subministrat; et quicumque hunc manducaverit, non morietur in aeternum: et est corpus Christi. — Considera nunc utrum praestantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quae utique corpus est vitae. Manna illud e caelo, hoc supra caelum: illud caeli, hoc Domini caelorum: illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur; hoc alienum ab omni corruptione, quod quicumque

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 409.

[2]) In ps. 118 serm. 15 n. 28 (Ibid. 15, 1420). Ad hunc locum redibimus infra, ubi (§ 3a) in dispositiones inquiremus, quas S. Ambrosius in subiecto S. Eucharistiae requisivit.

religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit[1]).“ Quantopere S. Eucharistia cibum Hebraeis a Deo in deserto datum superaret, hisce large probavit. Discrimina fere haec sunt. Iudaici cibi praestantia ex his elucet momentis: Manna fuit „e caelo“ seu „caeli“; data est „Synagogae“ seu „Iudaeis“; non tamen valuit a morte tueri: „panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt“; appellatur manna: „panis Angelorum“; erat nihilominus „corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur“. At vero S. Eucharistiam, illum cibum longe praestantissimum summis laudibus celebrat atque cumulat: est enim „supra caelum“, est „Domini caelorum“; data est Novae Legis seu „Ecclesiae“; „vitae aeternae substantiam subministrat; et quicumque manducaverit, non morietur in aeternum“; antecellit „pani Angelorum“, sum sit „caro Christi, quae utique corpus est vitae“; est „aliena ab omni corruptione, quam quicumque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit“, seu est carnis resurrectionis pignus.

Quibus argumentis S. Doctor, quod ineunte capite VIII operis De mysteriis se neophytis demonstraturum esse promiserat id, reapse comprobavit. Aspicientibus enim externam S. Eucharistiae speciem et mirantibus quod haec essent dona Ecclesiae a Deo praeparata et a S. Paulo Ap. praedicata, s. orator ut summum exemplum quasi coram oculis manna protulit, cuius qualitates, licet haud parvi per se aestimandae essent, tamen virtutibus cibi eucharistici longe postponi oporteret. Ecce ipsum textum: „Nunc illud consideremus, ne quis forte visibilia videns (quoniam quae sunt invisibilia, non videntur, nec possunt humanis oculis comprehendi) dicat forte: Iudaeis Deus manna pluit, pluit coturnices (Exod. 16, 13): Ecclesiae

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 404. Eandem sententiam continet lib. 4 De sacram. c. 4 n. 13: „Vere magnum et divinum miraculum, quod populo pluit Deus manna de caelo, et non laborabat populus et manducabat“ (Migne, Patr. Lat. 16, 439); iterum fusius c. 5 n. 24: „Magnum quidem et venerabile, quod manna Iudaeis pluit e caelo, sed intellege. Quid est amplius, manna de caelo an corpus Christi? Corpus utique Christi, qui auctor est caeli. Deinde manna qui manducavit, mortuus est: qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, et non morietur in aeternum“ (Ibid. 16, 444).

autem illi dilectae haec sunt quae praeparavit, de quibus dictum est; ‚Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus eum' (I Cor. 2, 9)? Ergo ne quis hoc dicat, summo studio volumus comprobare, quod praestantiora sunt sacramenta Ecclesiae quam manna est[1]."

II. Deinde sine ulla intermissione etiam „aquam de petra" illustrandam suscipit et De myster. c. 8 n. 48 rem hunc in modum explanat: „Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo: illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in aeternum. Iudaeus bibit, et sitit: tu cum biberis, sitire non poteris: et illud in umbra, hoc in veritate. — Si illud quod miraris umbra est, quantum istud est, cuius et umbram miraris? Audi quia umbra est, quae apud patres facta est: ‚Bibebant', inquit, ‚de consequenti eos petra: petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum complacitum est Deo; nam prostrati sunt in deserto (I Cor. 10, 4)[2].'" Ante omnia necesse est vocem „petrae" explicare, cum ad locum recte intellegendum maximi ponderis sit. Cum nemo non videat S. Ambrosium ex I. Cor. 10, 4 hausisse, prius mentem S. Pauli assequi debemus. Et hac occasione notamus S. Episcopum in I Cor. 10, 4 ante vocabulum „consequenti" certo legisse „spiritali", quod et nonnulli codices manuscripti[3]) ad lib. 5 De sacram. c. 1 n. 3 habent, praesertim cum id cum textu Sacrae Scripturae congruat. Iam vero „spiritalem consequentem eos (scil. Iudaeos) petram" S. Paulus vocat Christum, cum asserat: „Petra autem erat Christus". Quonam iure? Constat Deum Iudaeis in

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 403. [2]) Ibid. 16, 405.

[3]) Adi hac de re Adnot. ed. Benedict. ad lib. 5 De sacram. c. 1 n. 3 necnon ipsum textum De sacram., qui eandem ac liber De mysteriis continet sententiam addito nomine adiectivo „spiritualis": „Tetigit petram, et petra undam maximam fudit, sicut Apostolus ait: ‚Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra: petra autem erat Christus'. Non immobilis petra, quae populum sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide mysterium. Moyses, hoc est, propheta: virga, hoc est, verbum Dei. Sacerdos verbo Dei tangit petram, et fluit aqua et bibit populus Dei. Tangit ergo sacerdos, redundat aqua in calice, salit in vitam aeternam, et bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est." Migne, Patr. Lat. 16, 447.

deserto sitientibus toto itinere aquam subministravisse, quoties Moyses petram virga percutiebat; petra igitur haec quodammodo subsequebatur Iudaeos ac praebendo iis mirabiliter aquam repraesentabat Christum, qui, quatenus erat Λόγος ἄσαρκος, non alius erat nisi ipse Iahve Antiquae Legis populo electo sese manifestans. Aliis verbis: „petra eos consequens" erat imago, sub qua Λόγος divinus populum suum quoquoversus concomitabatur. Cum vero petra illa non modo Λόγον ἄσαρκον repraesentaverit, verum etiam ipsum Λόγο ἔνσαρκον i. e. Incarnatum Filium Dei praefiguraverit qui (Io. 4, 10 sqq. et 7, 37 sqq.) semetipsum „aquam vivam" appellat, S. Paulus fas habet „spiritalem" eam dicere non quod indicare voluerit petram spiritualiter perceptam seu Christum, qui Iudaeis continuo subveniens ex materiali, lapidea petra aquam praebuerat; sed ut ad veram petram, cuius tamen origo fuerit supernaturalis ac caelestis, animos dirigat. Sic enim petra potum praestans optime respondet escae spiritali seu manna, cuius quidem versus immediate praecedens mentionem fecit. Unde apparet S. Paulum petram optimo iure vocavisse Christum [1]).

Sed nondum diximus, qua ratione et quo iure S. Ambrosius „aquam de petra" ad S. Eucharistiam accomodaret. Sanguinem Christi eucharisticum antecellere laudatae aquae duobus ostendit momentis dicens: 1. „illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit [2]) in aeternum"; 2. „Iudaeus bibit et sitit; tu cum

---

[1]) Adi hac de re A. Bisping, Erklärung des 1. Briefes an die Korinther (Münster 1883) 3 ed. p. 171: „Der Ausdruck πνευματικὴ πέτρα bezeichnet nicht, wie einige (Chrysost.) meinen, einen Felsen in geistlichem Sinne, als wolle Paulus sagen: der Felsen in geistlichem Sinne, Christus, welcher immer bei ihnen gewesen (ἀκολουθούση), habe ihnen jenen Trank aus dem materiellen Felsen gewährt, sondern er bezeichnet, wie oben βρῶμα πνευματικόν eine wirkliche Speise bedeutete, einen wirklichen Felsen, der aber überirdischen, himmlischen Ursprungs war und eine vom Geiste Gottes intendierte vorbildliche Bedeutung hatte."

[2]) Verbum „diluendi" idem valere ac „abluendi, expiandi" probat Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis, digessit Henschel (Parisiis 1842) tom. II sub litt. d. Quod verbum saepe usitatum esse, immo ab optimis scriptoribus dicit W. Freund, Wörterbuch der lat. Sprache (Leipzig 1844) tom. II. Cf. K. E. Georges, Lat.-deutsches Handwörterbuch (Leipzig 1879) tom. I: „diluere = disluere, mit einer

biberis, sitire non poteris". Cum auctor secundo hoc loco praestantiam potus in explenda siti laudat, primo loco e contra res omnino diversas inter se comparat, scil. sitim paulisper sedatam et peccata sanguine Christi deleta. Habemus igitur invictum argumentum S. Ambrosium sanguinem Christi eucharisticum a fidelibus sumptum censuisse non modo verum animae cibum, qui perfectam satietatem afferat, verum etiam fontem salutis, qui peccata abluat atque expiet. Quapropter profitetur sanguinem Christi eo maiorem admirationem mereri quo plus superet aquam de petra profluentem, quae proinde tantummodo „umbra" fuerit, cum ille profecto dicendus sit „veritas."

Denique aptissimis verbis orationis suae ad neophytos habitae facit finem. Perorat enim: Haec autem in figura facta sunt nostra. Cognovisti praestantiora; potior est enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de caelo[1]." Si inter eos fuisset qui adhuc dubius haesitaret, nunc auditis tot tantisque argumentis se continere non potuisset quin S. Episcopo libenter consentiret. Commode igitur Baunard in examine capitis VIII n. 48 operis De myster. dixit: „En effet, Ambroise déchirait tous le voiles, écartait toutes les ombres. Le dogme de la présance réelle de Iésus-Christ dans l'Eucharistie apparaissait ici dans la lumière la plus consolante pour la foi, la plus désespérante pour l'incrédulité[2])". Sententias vero, quae hoc capite con-

---

Flüssigkeit ausspülen, abspülen." Necnon L. Quicherat, Thesaurus poëticus linguae Latinae (Paris 1881) qui sub litt. d. laudati verbi ponit synonyma haec: lavare, inundare, madefacere. Egregie ex Latino in teutonicum sermonem hunc locum transfert Fr. X. Schulte [Bibliothek der Kirchenväter, ed. V. Thalhofer] Kempten 1871, tom. I p. 219: „Den Juden floß Wasser aus dem Felsen, dir strömt das Blut aus der Herzenswunde Jesu Christi; jenen stillte der Felsenquell für eine Stunde den Durst, dich wäscht das Blut des Herrn für die Ewigkeit." Recte vertit Béguinot, l. c. p. 365: „Le sang de Jésus vous purifie pour l'éternité."

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 405. Cf. quae c. 1 § 3, III n. 2 de umbra et veritate diximus. Consule etiam Bellarminum, l. c. lib. 1 c. 3, quod inscribitur: Ex figuris V. Testamenti demonstratur praesentia corporis Domini in Eucharistia, ubi laudati loci ratio habetur et adversariorum obiectiones refutantur.

[2]) Baunard, l. c. p. 86.

tinentur, ad persuadendum tam accomodatas censuit, ut eas appellaverit: „fermes assertions[1]).“

B. Quid in aliis scriptis de manna professus sit.

Quantopere S. Ambrosius ad manna Iudaeorum, illam cibi eucharistici figuram, totum animum intenderit, etiam multa alia scripta testificantur. Inspiciamus inter alia Expos. in ps. 118 serm. 18 n. 27. 28: „Non erat verus ille panis, sed futuri umbra. Panem de caelo illum verum mihi servavit Pater. Mihi ille panis descendit de caelo, qui vitam dat huic mundo. Non Iudaeis descendit, non Synagogae descendit: sed Ecclesiae descendit: sed populo Dei iuniori descendit, acquidem ne moriatur qui illum manducaverit, cum omnes qui illum panem manducaverunt, hoc est manna, quem putaverunt Iudaei verum panem, in deserto mortui sunt. Quomodo Synagogae descendit, cum Synagoga omnis interierit, et aeterno ieiunio fidei macerata defecerit? Denique si accepissent panem verum, non didicissent: ‚Domine, da nobis semper panem hunc‘ (Io. 6, 31)[2]).“ Et De Patriarch. c. 9 n. 39: „Possumus et ipsum Dominum accipere, qui suam carnem nobis dedit, sicut ipse ait: ‚ego sum panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt: hic est autem panis qui de caelo descendit, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.‘ Et ne quis putaret quia de hac morte dicit, quae per animae et corporis secessionem venit, et iure dubitet, cum sciat sanctos apostolos hac morte esse defunctos addidit: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. ‚Si quis manducaverit ex hoc, vivet in aeternum‘, hoc est: non de temporali vita dixi vobis supra, nec de morte istius vitae, qua etiamsi quis mortuus fuerit, tamen si panem meum acceperit, vivet in aeternum. Ille enim accipit qui se ipsum probat; qui autem accipit non morietur peccatoris morte, quia panis hic remissio peccatorum est[3]).“ Rursus in Epist. 79 n. 4: „Alia sunt illa, in quibus est mundi redemptio, peccatorum remissio, gratiarum divisio, sacramentorum participatio: quae

[1]) Baunard, l. c. p. 87. [2]) Migne, Patr. Lat. 15, 1462.
[3]) Corpus Script. Eccl. Lat. 32, 2, C. Schenkl, p. 147.

cum acceperis, tunc mirabere tantum donatum esse homini, ut illud manna, quod miramur fluxisse de caelo Iudaeis, nec tantae gratiae nec tantae operationis iudices ad salutem fuisse. Illud enim quicumque acceperunt in deserto, mortui sunt . . . hoc sacramentum quicumque gustaverit, non morietur in aeternum[1]." Similia habet Expos in ps. 118 serm. 18 n. 27: „In te ipso est, ut accipias hunc panem: accede ad hunc panem et accipies eum . . . Hic est vitae: qui ergo vitam manducat, mori non potest. Quo modo enim morietur, cui cibus vita est? Quomodo deficiet, qui habuerit vitalem substantiam[2])?"

His dictis S. Ambrosius profitetur S. Eucharistiam ad aeternam damnationem praecavendam multum valere atque hac ex parte manna Iudaeorum longe superare. Ast quaeritur an etiam vim remittendi peccata habeat, cum hoc alterum cum priori intime cohaereat. Priusquam hanc quaestionem attingamus, iuverit integros textus praemittere, circa quos disceptatio viget. Huc tria effata spectant quae cum ad S. Communionem sumendam certo referantur mentem S. Ambrosii mihi quasi spirare videntur. Legimus enim: lib. 4 De sacram. c. 6 n. 28: „Ergo quotiescumque accipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotiescunque accipimus, mortem Domini annuntiamus. Si mortem annuntiamus, annuntiamus remissionem peccatorum. Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur; debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam[3])". Iterum lib. 5 De sacram. c. 3 n. 17: „‚Manducavi panem meum cum melle meo.' Vides quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas sit? ‚Bibi vinum meum cum lacte meo.' Vides huiusmodi esse laetitiam, quae nullius peccati sordibus polluatur. Quotiescumque enim bibis, remissionem accipis peccatorum[4])". Denique Expos. in ps. 118 serm. 8 n. 48: „Tunc utique paratus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas Domini Iesu, in quo remissio peccatorum est[5])."

1) Migne, Patr. Lat. 16, 1270. 2) Ibid. 15, 1462.
3) Ibid. 16, 446. 4) Ibid. 16, 449. 5) Ibid. 15, 1314.

Talia effata quomodo diiudicemus? Docuitne S. Episcopus per S. Communionem peccata mortalia deleri? Videmus ad I. Cor. 11, 26 provocari, ubi S. Apostolus expresse testatur S. Eucharistiam a Salvatore „in commemorationem" passionis et mortis institutam ex eodem hoc fonte totam efficacitatem suam habere. Quo fretus S. Ambrosius colligit S. Communionem ad remittenda peccata vim habere. Sed quaenam peccata? Mortalia an venialia? Negamus peccata mortalia in quaestionem venire. Supra enim iam vidimus, cum notionem cibi eucharistici explicaremus (c. II § 1), S. Doctorem S. Communionem animae nutrimentum praedicavisse non profecto eo consilio, ut ad animam a vitiis sordibusque purgandam, sed potius fulciendam, i. e. sustentandam, sublevandam, muniendam valeret [„ille panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit", lib. 5 De sacram. c. 4 n. 24]. Quod si ita est, animam iam ante sumptionem cibi eucharistici a peccatis liberam esse oportet. Porro constat eum ab accedentibus ad sacram mensam nihil acrius ac severius postulavisse quam ut animos componerent et quam diligentissime conscientiam suam purgarent. Immo „omnem immundum secernendum a Christi altaribus" (De Elia et ieiunio c. 22) decrevit. Sed hac de re plura sequenti paragrapho. Unde nil aliud restat nisi ut peccata tantummodo venialia, quae „cotidiana" appellat, per S. Communionem remitti docuerit. Cum hac existimatione concordant, quae auctor operis De sacram. de quotidiana communione profert. Ita ipse: „Accipe cotidie, quod cotidie tibi prosit. Sic vive, ut cotidie merearis accipere. Qui non meretur cotidie accipere, non meretur post annum accipere . . . . panem istum vitae non cotidianum assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est caeleste et venerabile sacramentum[1])."

Hoc insigni textu fretus clarissimus Fr. Suarez, in quaestione: Utrum per hoc sacramentum (scil. S. Eucharistiam) remittantur peccata venialia, affirmativam partem secutus est[2]).

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 452.

[2]) Fr. Suarez S. J., De Eucharistia, ed. C. Berton (Parisiis 1872), quaest. 79 art. 4: „Unde et Ambrosius dicit, quod iste panis cotidianus

Nec praetereundum est quod S. Episcopus nonnullas sententias, quae in eius scriptis inveniantur a Graecis repetiit. Sic illud „in remissionem peccatorum" ex S. Hippolyto sumpsisse videtur qui Proverb. 9, 5 ait: „Τὴν θείαν αὐτοῦ σάρκα καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ αἷμα δέδωκεν ἡμῖν ἐσθίειν καὶ πίνειν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν[1])."

Ut vero finem huius quaestionis faciamus, postremo praesto est praeclarum S. Antistitis effatum, ex opere De Patriarch. c. 9 desumptum, afferre. Ait enim „‚Aser, pinguis eius panis, et ipse dabit escam principibus.' Aser interpretatione Latina significat divitias ... Quis dives nisi dominus Iesus, qui abundat semper et numquam deficit? ... Hic ergo est dives thesaurus, cuius pinguis panis. Et bene pinguis, quem qui manducaverit esurire nonpoterit. Hunc panem dedit apostolis, ut dividerent populo credentium, et hodieque dat nobis eum, quem ipse sacerdos cotidie consecrat suis verbis. Hic ergo panis factus es esca sanctorum[2])." Summis igitur laudibus mirabilem illum cibum eucharisticum extollit, in quo „divitae", „thesaurus", „pinguis panis", immo „esca sanctorum" contineatur. Dubitare non possumus quin haec verba pronuntians praestantiam S. Eucharistiae prae

---

sumitur in remedium cotidianae infirmitatis. Res autem huius sacramenti est caritas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quod venialia solvuntur." Cf. S. Thomam Aqu., Summa theolog., pars III qu. 79 art. 4, qui eandem rem probat ex S. Ambrosio. Adi Heinrich-Gutberlet, l. c. tom. IX p. 749 sqq. necnon Liebermann, l. c. tom. IV p. 569, qui tractans „De effectibus Eucharistiae" laudata S. Ambrosii verba adhibet, ut demonstret peccata venialia remitti S. Communione.

[1]) Migne, Patr. Gr. 10, 626. S. Hippolytus, gravis testis pro S. Eucharistia saec. II, a Protestantibus vulgo non citatur. Sic Fr. Renz, Opferbegriff, l. c. p. 110 n. 1 affirmat.

[2]) Corpus Script. Eccl. Lat., l. c. vol. 32, 2 ed. C. Schenkl, p. 146 sq. J. Kellner (Der hl. Ambrosius als Erklärer des A. Testamentes [Regensburg 1893] p. 119) inquirens in laudatum locum ait: „Christus ist der Reiche, der immer Überfluß und nie Mangel hat; der durch seine Armut hinwieder alles reich gemacht hat; er ist das „fette Brot", da er uns sein Fleisch bietet." Aptissimum titulum capiti IX huius operis proponit Béguinot, l. c. p. 355: „Richesse de Notre-Seigneur Jésus-Christ, lequel alimente notre pauvreté, par le pain de vie, qui est son propre corps."

illo manna Iudaeorum celebrare in animo habuerit. Quodsi igitur cibum eucharisticum escam sanctorum appellaverit, apparet eum in subiecto S. Eucharistiae „sanctitatem", quam hodierni gratiam sanctificantem vocant, iam adesse exsistimavisse, cum secus dixisset: „esca sanctificandorum" vel aliquid simile.

§ 3. De dispositionibus, quas in S. Eucharistiae subiecto requisivit.

S. Ambrosius, cum conscius sibi esset rationis gravissimae, quam gregis sui pascendi Deo redditurus esset, haud mediocres dispositiones in S. Eucharistae subiecto requirebat, quae cum ad intellectum informandum tum ad voluntatem confirmandam spectant. Utrique rei investigandae nunc operam dabimus.

I. Et primo quidem quod ad intellectum attinet, non sufficere eam doctrinam, quam catechumenis ante baptismum tradidisset, sed insuper scientia singularium praeceptorum, neophytos seu recens baptizatos imbuendos esse, in Prolog. Expos. in 118 n. 2 hisce indicavit: „Unde, licet in baptismate plena statim purgatio: tamen quia ablutionis ipsius sacrificiique rationem baptizatus debet cognoscere, non offert sacrificium, nisi octavum ingrediatur diem; ut informatus agnitione sacramentorum caelestium non quasi rudis, sed quasi rationis capax, tum demum suum munus altaribus sacris offerat, cum coeperit esse instructior; ne offerentis inscitia contaminet oblationis mysterium[1])." En quanti sanctorum scientiam aestimaverit merito veritus ne improba ignorantia sanctum mysterium contaminaret! Exstat disertum argumentum, S. Episcopum ne adultis fidelibus quidem tale praeceptum imponere neglexisse. In eodem enim serm. 15 n. 28 eos lectionibus Sacrae Scripturae, quas „apostolicum cibum" vocat, ad S. Communionem digne sumendam sese praeparare iubet. Ait enim: „Habes apostolicum cibum; manduca illum et non deficies. Illum ante manduca, ut

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 15, 1198. Opportunam huius loci paraphrasim Baunard, l. c. p. 85 praebet hisce: „Il ne faut pas, que le chrétien se présente à l'autel dans l'ignorance des choses qui vont s'accomplir. Il faut qu'il soit instruit des mystères célestes avant d'offrir le don du pain qui doit être consacré."

postea venias ad cibum Christi, ad cibum corporis Dominici, ad epulas sacramenti[1]."

Attamen valde erraremus, si S. Ambrosium disciplinam intellectus plus aequo pressisse putaremus; e contra mysterium non rationis lumine, sed potius fide amplectendum esse etiam atque etiam docet. Quod ut rite instituat, exemplum Abrahae in medium profert qui cum Deo fidem habuisset (Gen. c. 12) divinae promissionis particeps factus est. Cf. lib. 1 De Abraham c. 3 n. 21: „‚Abraham diem meum vidit et gavisus est; ideo reputatum est illi ad iustitiam', quia rationem non quaesivit, sed promptissima fide credidit. Bonum est ut rationem praeveniat fides, ne tamquam ab homine ita a Domino Deo nostro rationem videamur exigere. Etenim quam indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus[2])!"

Quae cum ita sint, haud difficile est cognoscere quamnam relationem inter scientiam et fidem constituerit. Cum enim in mysteriorum investigatione fidem primas partes habere modonunc ab ipso audierimus, apparet eum id quod S. Anselmo, methodi scholasticae patri, summae laudi dare consuevimus, utpote qui primus fidem anteire rationi edixerit exclamando: „Credo ut intellegam[3])," sagaci obtutu multis ante saeculis quasi divinando anticipasse. Nec minus S. Ambrosius aemulum ex medio aevo in eo praecucurrisse dici potest, quod neophytos hortatus: „ne offerentis inscitia contaminaret oblationis mysterium" etiam scientiae in fide suas partes dedit, ita tempore praevertens illud Anselmi: „Sicut rectus ordo exigit, ut profunda christianae fidei credamus, priusquam ea

[1]) Migne, Patr. Lat. 15, 1420. Cf. ibidem not. b., ubi Editores Benedictini „apostolicum cibum" lectiones Sacrae Scripturae sumptioni S. Eucharistiae praemittendas a S. Ambrosio intellectum esse censent; eorum sententiam et nos secuti sumus.

[2]) Corpus Script. Eccl. Lat., l. c. vol. 32, 1 ed. C. Schenkl, p. 516 sq. Consule J. Kellner, Der hl. Ambrosius als Erklärer des A. Testamentes, l. c. p. 102: „Im Literal- bzw. moralischen Sinne ist Abraham ein Vorbild der innigen Hingabe an Gott, indem er willig dem göttlichen Befehle Folge leistet.

[3]) Proslogion, c. 1: „Neque enim quaero intellegere, ut legam; sed credo ut intellegam. Nam et hoc credo, quia nisi credidero, non intellegam," Migne, Patr. Lat. 158, 227.

praesumamus ratione discutere, ita neglegentia mihi videtur, si, postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intellegere[1])."

Ceteroquin ne animos plus iusto occuparet ac doctrinis quasi refarciret, id potissimum agebat ut paulatim atque pedetemptim neophyti mysteria fidei discerent; quapropter non totam doctrinam simul iis proponebat, quippe quam ferre non possent, sed secutus I Cor. 3, 2 („Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis")[2]) a rudimentis exponendis incipiebat, ut „lac" seu levis cibus „escam solidiorem", quae est S. Eucharistia, praecederet. Expos. enim ev. sec. Luc., lib. 6 n. 71 ait: „Esca solidior corpus est Christi, potus vehementior sanguis est Domini. Non statim a primo epulamur omnia neque potamus omnia[3]). Qua in re Iesu Christi exemplum imitandum voluit, qui postquam initio quinque, deinde septem panibus turbam satiavit, postremo ipsum suum corpus manducandum tradidit: „In modum lactis quinque sunt panes . . . Primo quinque sunt panes, secundo septem, tertium ipsum corpus est Christi. Nequaquam igitur talem dominum deseramus, qui pro uniuscuiusque viribus impertire nobis alimenta dignatur, ne aut infirmum validior cibus opprimat aut validum exilia alimenta non satient[4])."

II. Quantumvis intellectus disciplinam haud parvi haberet, instantius tamen a fidelibus poscebat, ut quae de magnitudine S. Eucharistiae intellectu atque fide cognovissent, ea voluntate confirmarent atque usu comprobarent. Quam ob rem ad „vestem nuptialem" induendam, ad ieiunium observandum, ad modestiam corporis sequendam animos incitabat.

1. Sicut Jesus Christus, antequam turbas fame laborantes mirabili illa quinque panum multiplicatione reficeret, aegrotos sanavit (Luc. 9, 11), ita etiam eum, qui peccato inquinatus

---

[1]) Lib. 1 Cur Deus homo c. 2, Ibid. 158, 362.

[2]) Cf. A. Bisping, l. c. p. 49, ubi auctor textus dilucidandi causa ad verba „nondum enim poteratis" addit: „ferre solidum cibum".

[3]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 4 p. 262. Adi Edm. Martène, De antiquis ecclesiae ritibus, tom. I (Bassani 1783) lib. 1 c. 1 art. 15 p. 53 sqq., ubi auctor S. Ambrosium neophytis S. Eucharistiae praecepta tradentem inducit.

[4]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 4 p. 261 sq.

sit, conscientiam suam ante S. Communionem exonerare iubet S. Praesul lib. 6 Expos. evang. sec. Luc. n. 70: „Et si qui corporalis gerunt ulcera passionis, his medicinam suam libenter indulget. Consequens igitur erat, ut quos a vulnerum dolore sanaverat eos alimoniis spiritalibus a ieiunio liberaret. Itaque nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus, et illi qui vocantur ad cenam prius vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem ut veniret accepit; si lumine privatus oculorum, domum utique domini nisi refusa luce intrare non potuit. Ubique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensae caelestis exuberet[1])." Porro adhortatur fideles, ut virtutibus adornent animam, ne a Christo reiciantur. In eodem nempe opere lib. 7 n. 204 ait: „Nec hoc tamen plenum est, ut aliquis vocatus adveniat, nisi vestem habeat nuptialem, hoc est fidem habeat et caritatem. Et ideo qui pacem et caritatem non detulerit ad Christi altaria, tolletur pedibus et manibus et mittetur in tenebras exteriores[2])." Si quis vero sine veste nuptiali ad

---

[1]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 4 p. 261. Hic locus Bellarmino, l. c. lib. 4 c. 18 quod inscribitur: Indigne sumere Eucharistiam omnes illos, qui accedunt cum conscientia peccati mortalis, tam gravis visus est, ut gratiam sanctificantem ad S. Communionem praerequisitam esse ex eo probaret. Eodem effato utitur etiam P. Schanz, Die Lehre von den hl. Sakramenten der kathol. Kirche (Freiburg i. Br. 1893), p. 403.

[2]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 4 p. 374. Ut cognoscamus quatenus S. Ambrosius pendeat ab Origene, afferimus huius Hom. 11, 7 in Exod: „Nemo ergo potest audire verbum Dei, nisi fuerit prius sanctificatus, id est nisi fuerit sanctus corpore et spiritu, nisi vestimenta sua laverit . . . Nemo intret ad hanc caenam sordibus vestimentis". Migne, Patr. Gr. 12, 381. Et Hom. 2, 6 in ps. 37: „Cum anima tua aegrotet et peccatorum languoribus urgeatur, securus es, contemnis gehennam atque ignis aeterni supplicia despicis et irrides? . . . Communicare non times corpus Christi accedens ad Eucharistiam, quasi mundus et purus, quasi nihil in te sit indignum, et in his omnibus putas, quod effugias iudicium Dei?" Ibid. 13, 1386. Necnon Hom. 13, 5 in Levit: „Unde simili modo etiam tibi lex ista proponitur, ut, cum acceperis panem mysticum, in loco mundo manduces eum, hoc est, ne in anima contaminata et peccatis polluta Dominici corporis sacramenta percipias." Ibid. 12, 551. Ex quo vides quae S. Ambrosius de „veste nuptiali" professus sit, ea similiter etiam

sacram mensam accedere ausus sit, „secernendum a Christi altaribus" talem iubet. Cf. De Elia et ieiunio c. 22 n. 82: „Non fratris, non propinqui accipiamus personam, sed omnem immundum a Christi secernamus altaribus, ut emundet et corrigat lapsus suos, quo ad sacramenta Christi redire mereatur[1])." Quod hic se facturum esse minatur, id bis re exsecutus est, ne imperatoriae quidem dignitatis ratione habita. Cum enim Theodosius Magnus post cruentam caedem Callinici factam (a. 390) ecclesiam Mediolanensem ingressurus esset, S. Episcopus, ut Vita[2]) eius refert, ei „copiam ingrediendi ecclesiam denegavit: nec prius dignum iudicavit coetu ecclesiae vel sacramentorum communione quam publicam ageret paenitentiam." In Epist. vero 51 n. 13 praemonet imperatorem ne sacrificio interesse attentet. Cum autem constet eos qui sacrificio interessent, etiam S. Communionem sumere consuevisse, liquet, cum sacrificio etiam Eucharistiam imperatori denegatam fuisse. Scripserat ei: „Offerre non audeo sacrificium, si volueris assistere[3])." Cum vero Theodosius S. Praesulis iudicio se submisisset et sacra mensa re vera abstinuisset, eximia laudatione dignus ab eo exsistimatus est. In oratione De obitu Theodosii n. 34 Ambrosius defunctum imperatorem propter suam humilitatem, obedientiam, poenitentiam miris laudibus praedicat: „Quod

apud Origenem licet aliis verbis reperiri. Etiam cf. Hom. 4, 8 in Lev.: „Si tangat quis carnem Iesu tota fide, omni oboedientia accedat ad Iesum, iste tetigit carnem sacrificii et sanctificatus est." Ibid. 12, 442. Adi et S. Basilii lib. 2 De bapt. qu. III, ubi in sacrilegam S. Communionem vehementer invehitur: „Si adversus eos qui temere accedunt ad ea, quae ab hominibus sanctificata sunt, minae eiusmodi (auctor attulerat Lev. 22, 13) intentantur, quid quis dixerit contra eum qui ad tantum ac tale mysterium non veretur accedere? Quanto enim plus templo illic est, iuxta Domini vocem, tanto gravius est et formidabilius corpore Christi impure vesci audere, quam arietes aut tauros edere." Migne, Patr. Gr. 31, 1583. Cf. S. Dionys. Alex., Epist. ad Basilidem, can. 2 et 3, Migne, Patr. Gr. 10, 1281.

[1]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 2 p. 462.

[2]) Migne, Patr. Lat. 14, 35.

[3]) Ibid. 16, 1163. Quod ad S. Ambrosii cum Theodosio imperatore in basilica Ambrosiana congressum attinet, consule Baunard, l. c. p. 449 sqq., qui Theodoreti, episcopi Cyrensis, testimonio fretus magna cum diligentia rem illustravit.

privati erubescunt, non erubuit imperator, publice agere paenitentiam: neque ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid quod praeclaram adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie prostrati sunt, abstinuit a consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratiam filiorum experiretur adventu[1]." Iterum Maximum usurpatorem, Gratiani imperatoris interfectorem, a S. Communione arcuit. Haec enim eius Vita[2]) refert: „Et haec quidem ex Ambrosio ipso discimus: at praeterea, ut Paulinus auctor est, Maximum a communionis consortio segregandum putavit, admonens ut effusi sanguinis domini sui, et quod gravius est, innocentis, ageret paenitentiam."

Ut vero perspectum habeamus S. Ambrosium indignam sumptionem cibi eucharistici verum crimen censuisse, repetere liceat quae in Epist. 51 n. 13 ad Theodosium scripserat addendo verba, quae illi effato supra antecedunt: „Suadeo, rogo, hortor, admoneo; quia dolori est mihi, ut qui pietatis inauditae exemplum eras, . . . tot periisse non doleas innocentes . . . Noli peccato tuo aliud peccatum addere, ut usurpes, quod usurpasse multis officit[3]." Sed simul compertum habemus eum amicitae divinae recuperandae medium habuisse animi dolorem ob peccatum commissum.

2. Quod ad aptam dispositionem corporis spectat, S. Praesul ieiunium naturale seu totalem abstinentiam a qualibet quantumvis minima re, quae sumatur per modum cibi et potus, expresse exigit. Rationem vero ex reverentia erga „caeleste convivium" repetit. In Expos. in ps. 118 serm. 8 n. 48 accessuros ad sacram mensam adhortatur, ne „fame" vel „intemperantia" ab eiusmodi praecepto servando deterreantur. Ait enim: „Indictum est ieiunium, cave ne neglegas. Et si te fames cotidianum cogit ad prandium aut intemperantia declinat ieiunium, tamen caelesti magis te servato convivio. Non epulae paratae extorqueant, ut caelestis sis vacuus sacramenti. Differ aliquantulum, non longe finis est diei: immo plerumque sunt eiusmodi dies, ut statim meridianis horis adveniendum sit

[1]) Migne, Patr, Lat. 16, 1396.
[2]) Ibid. 14, 86. Cf. ibid. Vitam a Paulino conscriptam 14, 33.
[3]) Ibid. 16, 1162.

in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc utique paratus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas Domini Iesu[1])." Quo autem facilius animum ad ieiunium permulcendo alliciat, ad exemplum e cotidiana vita assumptum provocat. Sicut merx quaelibet non acquiritur nisi pretio aequo, quod nisi quis solverit, eam occupare non potest, ita pretiosissima illa res, quae est cibus eucharisticus, solummodo ieiunio redimi debet, praesertim cum inter ieiunandum S. Communio eo magis desideretur. In opere De Elia et ieiunio c. 10 n. 33 legitur: „Mystica quoque mensa ieiunio comparatur, illa mensa, de qua dicit David: ‚Parasti in conspectu meo mensam adversum eos qui tribulant me', famis adquiritur pretio et poculum illud inebrians sobrietate caelestium sacramentorum siti quaeritur. Ergo si ad mensam illam venerabilem ieiunia nos sancta perducunt, si hac fame illa quae sunt aeterna mercamur, quid de iis dubitamus quae in usu humano sunt, quod etiam haec nobis faciat suaviora ieiunium[2])?"

3. Verum enimvero non modo ieiunium, sed etiam externum quendam decorem modestamque corporis compositionem exigit ab iis, qui S. Eucharistiam sumpturi sint. In opere De virginibus l. 3 c. 3. n. 13 S. Ambrosius narrat, Liberium papam, cum festo Nativitatis Domini Marcellinam, S. Ambrosii sororem, in basilica Romana Apostolorum velo sacro donaret, eam instruxisse, quomodo virgines ad sacram mensam accedentes se gerere deberent, quam quidem adhortationem soror cum fratre communicavisse traditur[3]). Adhibet etiam fabulam Terentianam, quae Heauton Timorumenos[4]) inscribitur, in qua act. II sub finem scenae tertiae Clitipho quidam adolescens

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 15, 1314. Quod S. Ambrosius de diebus, quibus „statim meridianis horis celebranda sit oblatio", dicit, consule Edm. Martène, l. c. p. 107 sqq.

[2]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 2 p. 429 sq. Quod ad ieiunium S. Ambrosii temporibus observatum attinet, idque tum ecclesiasticum quod in Quadragesima et Quattuor Temporibus, tum naturale, quod ante S. Communionem in usu erat, consule opus: Perpétuité, l. c. Tradition p. 34. Quantopere S. Episcopus ipse ieiunio deditus fuerit, vide apud J. P. Silbert, hl. Ambrosius, l. c. p. 27 sq.

[3]) Migne, Patr. Lat. 16, 185.

[4]) P. Terentii Afri Comoediae, recensuit C. Dziatzko (Lipsiae 1884) p. 67.

a Syro servo monetur, ut patre suo praesente in convivio modestiam servet.

Syrus servus. „Ego te autem novi quam esse soleas inpotens:
„Inversa verba, eversas cervicis tuas,
„Gemitus, screatus, tussis, risus abstine.

Qua narratiuncula ad suum usum potitus, S. Ambrosius virgines sacrae mensae in mysterio adstantes sic alloquitur: „Quanto melius quod quidam in convivio patris adolescens iubetur, ne meritricios amores indiciis insolentibus prodat? Et tu in mysterio, Dei virgo, gemitus, screatus, tussis, visus abstine. Quod ille in convivio potest, tu in mysterio non potes[1])?"

III. Si uno ictu, quasnam dispositiones in S. Eucharistiae subiecto requisiverit, velimus complecti, iuverit afferre ex opere De mysteriis c. 8 n. 48 locum, ubi digne sumendae S. Communionis condicionem breviter „religionem" postulat. Ait enim: „Illud corruptioni obnoxium (scil. manna), si in diem alterum servaretur; hoc (scil. S. Eucharistia) alienum ab omni corruptione, quod quicumque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit[2])." Quicunque igitur „religiose" i. e. pie, sancte, sincere, summa adhibita diligentia, peccatis prius remotis ad sacram caenam accesserit, is „corruptionem sentire non poterit" seu ut iterato affirmat Ep. 79 n. 4: „Hoc sacramentum quicumque gustaverit, non moriturum esse in aeternum[3])." Habemus exinde argumentum, S. Ambrosium ipsi sumptioni S. Eucharistiae sine debita praeparatione vim plenam non tribuisse, sed piam dispositionem expresse exegisse[4]).

Hanc autem dispositionem non alia de causa tam acriter exposcebat a fidelibus, nisi quia ipse Christi eucharistici summo flagrabat amore. Quotiescumque enim S. Eucharistiae mentionem faciebat, suavissimo quodam loquendi more uti solebat. Sic Epist. 41 n. 15 exclamat: „Osculamur ergo

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 223. Consule ibi notam Edit. Bened. sub litt. d.

[2]) Ibid. 16, 405. [3]) Ibid. 16, 1271.

[4]) Recte igitur iudicat Rückert, l. c. p. 467: „Das beigefügte religiose kann uns lehren, daß er keine unbedingte Wirkung dachte, vielmehr die rechte Gemütsstellung des Empfängers als Bedingung ihres Eintretens betrachtete."

Christum communionis osculo[1]).“ Quid? Nonne vehementius commovemur, si legerimus, quae de calice et sanguine Christi disserit? Audiamus quid scribat lib. 2. De officiis c. 28 n. 138: „Vere illa sunt vasa pretiosa, quae redimunt animas a morte. Ille verus thesaurus est Domini qui operatur quod sanguis eius operatus est. Tunc vas Dominici sanguinis agnoscitur, cum in utroque viderit redemptionem; ut calix ab hoste redimat, quos sanguis a peccato redimit. Quam pulchrum, ut cum agmina captivorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur: Hos Christus redemit! Ecce aurum quod probari potest, ecce aurum utile, ecce aurum Christi quod a morte liberat, ecce aurum quo redimitur pudicitia, servatur castitas ... Huic muneri proficere debuit aurum Redemptoris, ut redimeret periclitantes. Agnosco infusum auro sanguinem Christi non solum irrutilasse, verum etiam divinae operationis impressisse virtutem redemptionis munere[2]).“ Nec minus ardens desiderium cibi eucharistici prodit lib. 5 Hexaëmeron c. 24 n. 92, ubi allegorica, ut consueverat, usus methodo, postquam avium, in Sacra Scriptura commemoratarum symbolicam attulit significationem, fideles ad S. Communionem festinantes cum avidis aquilis comparat: „Et ideo, inquit, qui cum avibus lusimus, cum gallo cantavimus, iam domini canamus mysteria, et ad corpus Iesu conveniant aquilae peccatorum remissione renovata.“

Et dum animos audientium ad resurrectionem Christi, illius „Ionae“ Novae Legis, convertit, continuo prosequitur: „Iam enim cetus ille magnus verum nobis Ionam reddidit, et gratulemur quod factus est nobis vesper[3]).“ Singulari

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 1117. ‚Pulchre infert Baunard, l. c. p. 89: „Cette communion au corps divin de Jésus-Christ, Ambroise n'en parlait qu'en des termes enflammés. ‚La communion, écrivait-il, c'est le baiser de Jésus-Christ‘.“

[2]) Migne, Patr. Lat 16, 140. 141.

[3]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 1 p. 203. Non modo „Ionas“, verum etiam „vesper“ seu vitae nostrae consummatio Iesus Christus ibi cognominatur. Bene monet Baunard, l. c. p. 474, quantopere S. Antistes fideles iterum atque iterum omni data occasione ad S. Communionem incitaverit: „Toujours attentif aux besoins des âmes, le pasteur prenait de là (scil. ex citata allegoria) occasion de les inviter à la communion qui est le souper de Dieu.“

quoque amore Satyrum fratrem suum ob eius magnam erga S. Eucharistiam fiduciam collaudavit, quod in Africam profectus, cum naufragium fecisset, ab itineris sociis, quos mysteriis religionis christianae imbutos sciebat, corpus Christi, quod ex illorum temporum more secum ferebant, expetiisset, quo in „orario“ seu linteo recepto et circa collum ligato in mare se securus deiecit. Spreto namque alio quocumque praesidio, veluti tabula de navis compage resoluta, cui supernatans fortasse servari posset, sola „fidei arma“ spe animoque impletus amplexus est. En quomodo lib. 1 De excessu fratris sui Satyri n. 43 sqq. dilectum celebraverit: „Quid igitur observantiam eius erga Dei cultum praedicem? Qui priusquam perfectioribus esset initiatus mysteriis, in naufragio constitutus, cum ea qua veheretur navis scopulo illisa vado et urgentibus hinc atque inde fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret e vita; quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium sacramentum poposcit: non ut curiosos oculos inferret arcanis, sed ut fidei suae consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario et orarium involvit collo atque ita se deiecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans iuvaretur, quoniam fidei solius arma quaesierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desideravit.“ Et nonnullis interiectis fratris eximiam fiduciam praedicans prosequitur: „Referebat gratiam, deferebat fidem. Nam qui tantum mysterii caelestis involuti in orario praesidium fuisset expertus, quantum arbitrabatur, si ore sumeret et toto pectoris hauriret arcano! quam maius putabat fusum in viscera, quod tantum sibi tectum orario profuisset[1]!“

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 1304. 1306. De Satyro consule M. Ihm, l. c., Fasti Ambrosiani ad an. 379. Cum nemo non videat S. Episcopum et de supra laudatis calicibus et de „orario“ verba facientem haud ambigue professum esse praesentiam Iesu Christi in S. Eucharistia etiam extra usum, liceat nobis sententias aliquorum theologorum afferre, qui ex S. Ambrosio Eucharistiam esse „sacramentum permanens“ probaverunt: Binterim, Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der christkatholischen Kirche (Mainz 1826) II, 2 p. 99: „Von dem Geräte, worin

Ex hoc more erga S. Eucharistiam quasi ex fonte quodam limpidissimo ardentissimae illae emanabant adhortationes quibus commoveret fideles, ut quam frequentissime immo cotidie ad sacram mensam accederent. Sicut tunc moris erat, illum „panem cotidianum" seu ἐπιούσιον in quarta prece Orationis Dominicae commemoratum ipsam S. Eucharistiam subintellegere, ita etiam lib. 5 De sacram. c. 4 n. 25, ad cotidianam communionem adhortatur. Etenim: „Si cotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quaemadmodum Graeci in Oriente facere consuerunt? Accipe cotidie, quod cotidie tibi prosit. Sic vive, ut cotidie merearis accipere. Qui non meretur cotidie accipere, non meretur post annum accipere[1])." Ne autem cui inoportunam molestiam exhiberet tali

---

die Gläubigen in den drei ersten Jahrhunderten das konsekrierte Brot mitnahmen, und von jenem, worin sie es zu Hause aufbewahrten." Deinde affert Satyrum. Liebermann, l. c. tom. IV p. 501: „Constat, Christianos olim cum navigarent aut longius proficiscerentur, Domini corpus detulisse tamquam firmum in itinere praesidium, ut ex S. Ambrosio patet." Perrone, l. c. tom. VI p. 228: „Omne dubium dispellit universa traditio, ex qua constat Eucharistiam a laicis passim ad proprias aedes fuisse delatam, ut ea pro opportunitate uterentur, ut constat ex S. Ambrosio." Item P. Schanz, Die Lehre von den heiligen Sakramenten der kathol. Kirche (Freiburg i. Br. 1893) p. 368: Oswald, l. c. p. 502; Pohle, l. c. tom. III ed. 4 p. 241, eam in itineribus praesidii causa fideles secum portasse probant. Perpétuité, l. c. tom. IV Tradition p. 32: „Les Chrétiens de l'Église primitive portaient avec eux le corps de Jésus-Christ en leurs voyages de mer." Iter maritimum Satyri Baunard, l. c. p. 195, multis verbis illustrat atque S. Eucharistiam rectissime appellat: „le corps de Jésus-Christ, le divin Viatique, l'hostie divine, secours divin." Quoad calices, quorum S. Ambrosius mentionem facit, consule Silbert, l. c. p. 189, qui Protestantes ad hunc locum dirigit, ex quo ecclesiae catholicae fides erga sanguinem Christi in calice praesentem comprobetur. S. Communionem in manibus repositam esse legimus lib. 6 Hexaëmeron c. 9 n. 69: „Manus est, quae cibum ori ministrat; manus est, per quam offerimus et sumimus sacramenta caelestia", ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 1 p. 257. Cf. Fr. X. Schulte, l. c. p. 343, qui de consuetudine communionis propria manu sumendae dicit: „Die Praxis der alten Kirche, nach welcher den Gläubigen die heilige Hostie zur Selbstkommunion anvertraut wurde, ist bekannt."

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 452. Quod ad Graecos attinet, auctores operis Perpétuité, l. c. tom. IV, huic loco hanc apponunt notam:

consilio, immo spatii longioris aut brevioris interiecti rationem habebat exigens eum, qui prope ecclesiam habitaret, cotidie, qui vero remotior esset omni Dominica cibum eucharisticum sumere. Serm. enim 25 n. 5 ita dicit: „Moneo etiam, ut qui iuxta Ecclesiam est et occurrere potest, cotidie audiat missam: et qui potest omni nocte ad matutinum officium veniat. Qui vero longe ab Ecclesia manent, omni Dominica studeant offerre et communicare. In quadragesima vero moneo, ut omni die aut saltem, ut dixi, omni Dominica offeratis et communicetis; et idcirco puram et mundam vitam ducite, ut digni sitis accedere ad sanctam communionem[1]." Ceterum cotidianam S. Communionem illa aetate reapse de more fuisse ipse diserte testatur Enarr. in ps. 43 n. 36: „Et considera quemadmodum parentes nostri in figura diripientes agnum manducabunt significantes Domini Iesu passionem, cuius cotidie vescimur sacramento[2]."

Quod in scriptis suis per totam vitam strenue professus est scil. verum animae cibum in S. Eucharistia contineri, id S. Praesul senescens et vitae praesentiens exitum exemplo suo comprobavit. Caelesti enim in morte nolens carere praesidio Honoratum presbyterum, qui in eadem domo secum habitabat, ter advocavit, ut cito ad moribundum accurreret et gestientem viatico muniret. Quod insigne factum cum supremo integerrimae vitae diei pulcherrimam lucem affundat, facere non possumus quin Paulino notario ac familiari, qui vitam eius scripsit, aures praebeamus: „Honoratus etiam sacerdos Ecclesiae Vercellis, cum in superioribus domus se ad quiescendum composuisset, tertio vocem vocantis se audivit dicentisque sibi:

„Coutume de quelques Grecs, de ne communier qu'une fois l'an, improuvée par saint Ambroise." Eodem loco fretus Pruner, l. c. p. 19, egregie edicit; „Sein (scil. Christi) Leben soll ganz das Leben seiner Erlösten werden, und deshalb wollte er ihr tägliches Brot sein, das Brot des Himmels, unendlich wertvoller und segensreicher als das Manna des alten Bundes."

[1]) Migne, Patr. Lat. 17, 656.

[2]) Ibid. 14, 1107. Effatis quibus S. Ambrosius ad S. Communionis sumptionem fideles strenue inflammat, Béguinot, l. c. p. 360, hunc titulum inscribit: „Saintes effusions de l'âme à propos du banquet divin de l'Eucharistie." Cf. Perpétuité, l. c. tom. IV Table historique p. 12.

‚Surge, festina, quia modo est recessurus.' Qui descendens obtulit sancto homini corpus: quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens, ut in virtute escae anima refectior angelorum nunc consortio, quorum vita vixit in terris, et Eliae societate laetetur[1])."

Secundae partis nunc finem facientibus liceat totum hunc tractatum concludere ipsis verbis S. Ambrosii qui in Enarr. in ps. 43 n. 36 dicit: „Probatum est quod Dominus noster sit cibus, sit epulatio vel alimentum edentium sicut ipse ait: ‚Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi'[2])."

Caput III.

De Missae sacrificio.

Hucusque vidimus S. Ambrosium S. Eucharistiam ea de causa figuris Antiquae Legis anteponendam docuisse, quia iis longe „praestantior" esset. Ait enim De mysteriis c. 8 n. 49: „Cognovisti praestantiora; potior est enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de caelo[3])." In eodem libro, immo in eodem capite autem aliquid aliud quoque neophytis se probaturum esse promittit, scil. S. Eucharistiam etiam antiquiorem esse laudatis figuris. Expresse enim c. 8 n. 44 edicit: „Summo studio volumus comprobare, quod et antiquiora sunt sacramenta Ecclesiae quam synagogae[4])." Rem vero demonstrare conatur, cum Melchisedechi sacrificium in medium profert. Itaque inquiremus primo in notionem sacrificii Missae in Melchisedechi oblatione praefiguratae, (§ 1a), deinde in relationem inter utrumque intercedentem (§ 2a), tertio in ritum Missae in eius scriptis illustratum (§ 3a), postremo in S. Eucharistiae ministrum (§ 4a).

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 14, 43. Verum Iesu Christi iam ante usum praesens corpus ab Honorato apportatum esse rectissime Baunard, l. c. p. 592 sq., infert, cum ait: „Honorat se leva et descendit apportant le corps du Seigneur Jésus. Dès qu'Ambroise l'eut reçu dans son coeur, il rendit l'âme."

[2]) Migne, Patr. Lat. 14, 1107. [3]) Ibid. 16, 305.

[4]) Ibid. 16, 404.

§ 1. De notione Missae sacrificii apud S. Ambrosium.

I. Sacrificium quodcumque, quod Dei colendi causa offeratur, insignis pietatis animique grati indicium esse S. Ambrosius docuit lib. 2 De Cain et Abel c. 6 n. 23, ubi Cainum, qui ‚de fructibus terrae munera Deo obtulit‘ (Gen. c. 4, 3), collaudat: „Recte obtulit, quia oblatio insigne devotionis et indicium gratiarum est[1].“ Eo pluris vero aestimandum esse sacrificium, quod Iesus Christus passionem mortemque suam instaurans Deo Patri in Missa[2]) cotidie offerat, ita profitetur lib. 2 De excessu fratris sui Satyri n. 46: „Mors eius vita est omnium. Morte eius signamur, mortem eius orantes annuntiamus, mortem eius offerentes praedicamus: mors eius victoria est, mors eius sacramentum est[3].“ Disertis igitur verbis, quae nullum dubium relinquunt, relationem, quae inter crucis et Missae sacrificium intercedit, pronuntiat: eandem enim mortem, qua „victoria“ ab inimico generis humani parta sit, in S. Eucharistia „offerentes praedicare“ nos affirmat. Eandem sententiam verborum Iesu Christi institutionis ratione habita lib. 4 De sacram. c. 6 n. 28 profert,

---

1) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 1 p. 399.

2) Ipsam vocem „Missae“ a S. Ambrosio iam adhibitam in Epist. 20 n. 4 invenimus: „Sequenti die post lectiones atque tractatum dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicae. Illic nuntiatum est mihi etc. Ego tamen mansi in munere, missam facere coepi,“ Migne, Patr. Lat. 16, 995. Nihilominus non certo constat an S. Ambrosius primus ea ad totum ritum significandum usus sit: Bellarminus, l. c. De Missa p. 614, ait: „Antiquissimam et usitatissimam in Ecclesia Latina esse hanc vocem dubitari non potest. Exstat enim apud Ambrosium.“ Suarez, l. c. disp. 74 sect. 3, S. Episcopum primum Patrem Ecclesiae esse, qui eam hoc sensu adhibuerit. E contra K. A. Kellner, Heortologie, 2 ed. (Freiburg i. Br. 1906) p. 60, testimonio Aviti, eppi Viennensis († 518), fretus affirmat ista voce antiquissimis temporibus non sacrificium Missae, quod aliis nominibus scil. „sacramentum“, „oblatio“, „sacrificium“ expressum esse dicit, sed dimissionem populi post sacram actionem significatam esse. Auctor vero laudatae supra Epist. 20 n. 4, ex quo luculenter apparet S. Ambrosium de eucharistico sacrificio verba facere, rationem non habuisse videtur. Cf. Katholik, 1907, II p. 239 sqq.

3) Migne, Patr. Lat. 16, 1327.

ubi insimul et finem sacrificii eucharistici scil. remissionem peccatorum nostrorum indicat: „Si mortem annuntiamus (cf. I Cor. 11, 26), annuntiamus remissionem peccatorum. Si quotiescumque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur[1].“ Et iterum lib. 5 Hexaëmeron c. 24 n. 90, postquam de Petro Christum negante sermonem fecit, affirmat se sermonis sui finem facturum esse, quia iam tempus Missae celebrandae advenerit: „Sed iam tempus est quo finire sermonem et claudere debemus . . . tempus est quo celebratur indulgentia peccatorum. Nobis quoque gallus iste mysticus in sacris cantet, quoniam Petri gallus in nostro sermone cantavit . . . Adproperet Iesu Domini passio, quae cotidie delicta nostra condonat et munus remissionis operatur[2].“

Quanti momenti sit eucharisticum sacrificium, ex eo colligit S. Episcopus, quod, postquam Christus in hunc mundum venerit, sacrificia gentilium ius exsistendi omnino amiserint et reapse ab eo abolita sint. Quam sententiam lib. 1 De Spiritu S., prolog. n. 4 ita exprimit: „Advertit igitur vir doctus et praesagus (scil. Gedeon iudex, a Deo vocatus ut Hebraeos a Midianitis liberaret) futuri superna mysteria; et ideo secundum oracula occidit vitulum a patre suo idolis deputatum, et ipse septennem alium vitulum immolavit Deo. Quo facto manifestissime revelavit post adventum Domini omnia gentilitatis abolenda sacrificia, solumque sacrificium Deo Dominicae passionis pro redemptione populi deferendum.“ Attamen etiam Iudaeorum cruenta sacrificia nil aliud nisi typos incruentae oblationis Novae Legis, victimas vero immolatas ipsius Iesu Christi sese offerentis idoneas figuras fuisse eodem loco hisce demonstrat: „Etenim vitulus ille erat in typo Christus, in quo septem spiritalium plenitudo virtutum, sicut Isaias dixit (Isai 1, 2), habitabat. Hunc vitulum et Abraham obtulit, quando diem Domini vidit, et gavisus est (Io. 8, 56). Hic est qui nunc in haedi typo, nunc in ovis, nunc in vituli offerebatur. Haedi, quod sacrificium pro delictis sit; ovis, quod voluntaria hostia; vituli, quod

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 446.

[2]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 1 p. 203.

immaculata sit victima. Praevidit ergo mysterium sanctus Gedeon[1])."

Ut vero cognoscamus quis imprimis sit ille qui in Missa sacrificetur, ad naturam Iesu Christi humanam, quae in cruce certe passa sit, animos nostros dirigit ratus eandem naturam olim passioni subiectam nunc in altari offerri. Pulchre hoc lib. 1 De officiis c. 48 n. 238 testatur: „Ante agnus offerebatur, offerebatur et vitulus, nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem[2])."

II. Sed non modo oblatum esse Iesum Christum, verum etiam offerentem affirmat S. Antistes; qua de causa appellat eum diserte sacerdotem, qui sanguinem suum i. e. ipse semetipsum tradat immolandum. Velut si enim oculis corporeis eum intueatur, Expos. in ps. 38 n. 25 profitetur: „Vidimus Principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum[3])." Et iterum lib. 1 De officiis c. 48 n. 238: „Et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat[4])." Quae cum ita sint, Iesum Christum eucharisticum eundem esse ac illum qui crucis sacrificium obtulerit, docet S. Praesul, quia et in cruce, quae merito „altare" vocetur, ipse oblationem fecerit. Epist. enim 65 n. 8 crucis sacrificium Antiquae Legis victimis praefiguratum his praedicat verbis: „Et quia nihil prae ceteris in Lege, nisi Christi adventus annuntiatur, atque eius praefiguratur passio; vide ne ista sit hostia salutaris, quam Verbum Deus in semetipso obtulit atque in suo immolavit corpore . . . deinde accedens ad altare, effudit hostiae suae sanguinem . . . Quod vero ad altare

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 704. 705.

[2]) Ibid. 16, 94. S. Ambrosius non inconsulte vocabulum „quasi" addidit, cum Missa non sit novum sacrificium a cruento crucis sacrificium diversum, sed totam rationem exsistendi ex Golgotha hauriat. Quam ob rem Pohle, l. c. vol. III ed. 4 p. 347, relationem inter utrumque sacrificium probans recte monet: „Wichtiger ist der Nachweis, daß auch das Meßopfer ungeachtet seiner Wahrheit und Wirklichkeit als Opfer seinem innersten Wesen nach nichts anderes ist als die Repräsentation und das Gedächtnis des blutigen Opfers Christi am Kreuze."

[3]) Migne, Patr. Lat. 14, 1051. [4]) Ibid. 16, 94.

effundit sanguinem, ut intellegas, licet ablutionem mundi, remissionem omnium peccatorum. Etenim sanguinem illum ad altare quasi hostiam effundit ad multorum exhaurienda peccata . . . An non tibi videtur effudisse sanguinem suum, de cuius latere supra ipsum passionis altare aqua cucurrit et sanguis[1])?"

In altari igitur, quod cruci respondet et quod per metonymiam „forma corporis Christi" [2]) vocari potest, a „principe sacerdotum" sacrificium Novae Legis idque principaliter offerri novimus, cum huius sacerdotis verba consecrationem perficiant. De mysteriis enim c. 9 n. 52 ait: „Sacramentum istud quod accipis Christi sermone conficitur[3])." Rationem igitur intrinsecam eucharistici sacrificii in elementorum conversione, quae fiat per verba Christi institutionis, consistere discimus. Eandem sententiam Expos. in ps. 38 n. 25 profert: „Ipse (scil. Christus) offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur[4])." At vero Iesus Christus quamvis in S. Eucharistia conficienda sacerdotis principalis partes agat, tamen sacerdote ministeriali seu homine, qui eius vice fungatur, utitur. Huic vicario sacrificandi potestatem vere competere docet S. Ambrosius, cum in eodem contextu pergit: „Sequimur ut possumus sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium: etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio . . . ipse offerre manifestatur in nobis." Verba autem consecrationis esse non hominis, sed Iesu Christi verba ex lib. 4 De sacram. c. 4 n. 14 discimus: „Reliqua omnia, quae dicuntur in superioribus, a sacerdote dicuntur . . .; ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hic conficit sacramentum[5])."

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 1224.

[2]) Cf. lib. 5 De sacram. c. 2 n. 7: „Quid est enim altare, nisi forma corporis Christi." Migne, Patr. Lat. 16, 447. Adi adnot. Edit. Bened.: „Dicitur hic altare forma seu figura corporis Christi, eo quod in corpore suo tamquam in ara sacra perpetuum ac iuge sacrificium Patri obtulit Christus Dominus."

[3]) Migne, Patr. Lat. 18, 406. [4]) Ibid. 14, 1052. [5]) Ibid. 16, 440.

III. Ipse vero offerens eucharisticum sacrificium, Iesus Christus, etiam mediator est inter Deum et homines. S. Episcopus pulcherrimam adhibet S. Ioannis Evangelistae vocem (1 Ioa. 2, 1) appellans Christum „advocatum". Sic namque lib. 1 De officiis c. 48 n. 238 legimus: „Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud patrem pro nobis quasi advocatus intervenit[1])." Et pari prorsus modo in Enarr. in ps. 38 n. 25: „Et ipse quidem nobis apud patrem advocatus assistit[2])." Itidem De Isaac vel anima c. 8 n. 75: „Ipse vox nostra, per quem loquamur ad patrem: ipse dextera, per quem patri deo nostrum sacrificium deferamus[3])." Et optimo quidem iure; nam Christus non modo sanguinis sui in cruce effussione, qua nostrae saluti consuleret, mediator noster factus est, verum etiam per omnia quaecumque beneficia, quae in nos contulit e. gr. Missae sacrificium instituendo, certe mediatorem sese exhibuit[4]). Cum vero ex contextibus appareat tribus locis quos supra allegavimus de S. Eucharistia agi, manifestum est Christum eucharisticum a S. Ambrosio mediatorem ibidem praedicari. At enim quid iudicandum de illo effato, quod Enarr. in ps. 38 n. 25 legimus: „Etsi nunc non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur . . . sed nunc eum non videmus, tunc videbimus, cum imago transierit, veritas venerit[5])? Num S. Episcopus vult dicere se non de vero, proprie dicto sacrificio, sed tantummodo de quadam imagine cruenti sacrificii in Golgotha peracti verba facere? Ad solvendum dubium in memoriam revocamus ea quae c. I § 3 n. 2 de „imagine" diximus, cum illa effata recenseremus, quae primo intuitu ambigua esse videntur. Ibi enim cognovimus non de inani et vacua, sed e contra de plena et ipsam veritatem continente imagine certe sermonem fuisse. Quae si ad oblationem eucharisticam transferamus, illico, apparet

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 94. [2]) Ibid. 14, 1052.

[3]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 1 p. 694.

[4]) Consule Pohle, l. c. vol. II ed. 4 p. 157, Das Dogma der Mittlerschaft Christi: „Überhaupt muß alles, was Jesus für uns getan hat und noch tut, als Ausfluß seiner Mittlertätigkeit betrachtet werden, wie die Einsetzung der Messe und der Sakramente, Gründung der Kirche, Sendung des Hl. Geistes, Heiligung der Seelen usw."

[5]) Migne, Patr. Lat. 14, 1052.

Christum in imagine offeri idem esse ac Christum sub aliena specie offeri. Huiusmodi vero oblatio loco citato opponitur veritati sub propria specie manifestatae, quae nonnisi in caelestibus est. Rectissime igitur Christum hisce in terris non „videri" scil., ut Pohle[1]) in clausula addit, „oculis" a S. Antistite affirmatur. Quam ob rem ex nostra quidem sententia reiciendum est quod Förster[2]) habet: „imaginem" esse signum memoriae unici scil. cruenti sacrificii Salvatoris. Quodsi ita res se haberet, nihil valeret immo vana esset pulcherrima illa a S. Praesule adhibita gradatio, quam paucis ante sic expressit: „Umbra in Lege, imago vero in Evangelio, veritas in caelestibus." Immo si laudato theologo assentiremur, eam hunc in modum immutari oporteret: umbra in Lege, signum

---

1) Pohle, l. c. vol. III ed. 4 p. 344. Cf. Renz, qui hunc locum sic vertit: „denn wenn man auch nicht sieht, daß jetzt Christus opfert, so wird doch er selbst geopfert etc."

2) Th. Förster, Ambrosius, Bischof von Mailand (Halle a. S. 1884) p. 171 sq.: „Der Opferbegriff in der Eucharistie findet sich bei Ambrosius nur gelegentlich; einen unzweifelhaften Ausspruch, daß durch den Priester ein unblutiges Opfer Christi stattfinde, haben wir nicht; vielmehr läßt sich erkennen, daß das Sakrament mehr in dem Sinne als Opfer bezeichnet wird, daß es ein Erinnerungszeichen ist an das einige Opfer Christi." Etiam Loofs, Realenzyklopädie für protest. Theologie und Kirche, ed. Hauck (Leipzig 1898) vol. I³ p. 60, negat S. Ambrosium verum sacrificium docuisse: „Die wirkliche Gegenwart des wirklichen Leibes und Blutes Christi hat er nach seinen echten Schriften nicht angenommen: das eucharistische Opfer ist imago veritatis." C. Chr. Siegel, Handbuch der christlich-kirchlichen Altertümer (Leipzig 1886) vol. I p. 3, concedit verum eucharisticum sacrificium a S. Ambrosio doceri: „Bei den späteren Vätern des 4. Jahrhunderts, . . . Ambrosius, finden wir die Vorstellung schon völlig ausgebildet: daß im Abendmahle unter Brot und Wein der Leib und das Blut Christi aufs neue geopfert werde und daß die Kommunikanten dadurch Vergebung der Sünden erhalten." Thomasius, l. c. p. 586, similia habet. Ait enim: „Eine ihm (scil. S. Ambrosio) zugeschriebene spätere Schrift (auctor in animo habet libros De sacramentis, quos S. Episcopo nostro adiudicandos esse in Prolegomeno probavimus) spricht nicht nur die Verwandlung in der stärksten Form aus, sondern kombiniert sie aufs engste mit dem Opfer," Deinde allatis verbis ex lib. 4 De sacram. c. 6 n. 27: „Et sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimae eius passionis . . . offerimus tibi hanc immaculatam hostiam," hunc in modum prosequitur: „Indem wir den Tod des Herrn verkündigen, verkündigen wir die Vergebung der Sünden."

memoriae in Evangelio, veritas in caelestibus. Tunc autem ut nemo non videt, gradatio esset nulla, cum „umbra" et „signum," quod ad rem pertinet, inter se non differrent neque sacrificium Novae Legis reale censendum esset. Talem igitur interpretationem valde incommodam et praeter rem esse putamus[1]).

Ex dictis plane patet S. Antistitem Missam verum ac proprium sacrificium censuisse, quod quidem sacrificium ipse Iesus Christus, ut „homo recipiens passionem", et sacerdotali fungens munere, mediator inter homines et Deum factus, „in remissionem peccatorum" offerat. Nunc ad Melchisedechi sacrificium, quod S. Catechista neophytis De mysteriis c. 8 explanat, gradum faciemus.

§ 2. Quomodo Christi sacerdotium cum sacerdotio Melchisedechi comparaverit.

Miro cum amore ac studio S. Ambrosius praesertim in sacerdotio Melchisedechi immoratur, in quo eucharisticam Iesu Christu oblationem optime praefiguratam videt. Antequam hanc quaestionem aggrediamur, iuverit integrum textum praemittere, qui De mysteriis c. 8 n. 45 et 46 prostat: „Antiquiora (scil. sacramenta Ecclesiae prae synagogae) docet lectio Genesis, quae decursa est; synagoga enim ex lege Moysi principium sumpsit: Abraham vero longe anterior, qui victis hostibus et nepote proprio recepto, cum potiretur victoria, tunc illi ocurrit Melchisedech et protulit ea quae Abraham veneratus accepit. Non Abraham protulit, sed Melchisedech, qui inducitur sine patre, sine matre, neque initium dierum neque finem habens, similis autem Filio Dei: de quo ait Paulus ad Hebraeos: ‚Quia manet sacerdos in perpetuum' (Hebr. 7, 3); qui interpretatione latina dicitur rex iustitiae, rex pacis. Non agnoscis quis iste sit? Potest homo esse rex iustitiae, cum ipse vix iustus sit? Potest esse rex pacis, cum vix possit esse pacificus? Sine matre secundum divinitatem, quia ex Patre Deo genitus est, unius substantiae cum Patre: sine patre secundum incarnationem, qui natus ex Virgine est: initium et finem non habens, quia ipse est initium et finis omnium,

---

[1]) Cf. Renz, l. c. p. 272 sqq.

primus et novissimus. Non igitur humani, sed divini est muneris sacramentum quod accepisti, ab eo prolatum qui benedixit fidei patrem Abraham, illum cuius gratiam et gesta miraris. Probatum est antiquiora esse Ecclesiae sacramenta[1])."

Verum quidem est S. Antistitem etiam Aaronem, Moysis fratrem, testem sacrificii celebravisse. Enarr. enim in ps. 39 n. 8 eius munus cum Christi mediatoris munere sic confert: „Exspectatus est (scil. Christus) et in Aaron principe sacerdotum, qui inter vivos ac mortuos medius stetit: et serpentem statuit luem mortis, ne a cadaveribus defunctorum ad viventium transiret interitum. Quid enim tam proprium Christi quam advocatum ad Deum Patrem astare populorum, mortem suam offerre pro cunctis, repellere necem, vitam reformare perituris[2])." Munus enim eius non tantum habebat valorem nisi quantum Christi praefigurabat sacrificium. Longe vero excellentius est sacrificium, quod Melchisedech obtulit, quapropter S. Praesul se totum in eius cognitione collocat. Iam ipsum regis Salem nomen liberius suoque arbitrio interpretatur. Licet enim hebraica haec vox „regem iustitiae" significet, tamen plenius abundantiusque eam in linguam Latinam vertit: „vex pacis et iustitiae[3])". Quod porro ad actionem sacrificam spectat, termino „proferre", quem etiam editio Vulgata Hieronymiana postea adhibuit, usus est, quo verum sacrificium, non autem epulas a rege instructas significaret[4]), perinde ac si legisset: Obtulit.

Quanti S. Ambrosius regem laudatum Salem aestimaverit, iam inde liquet quod ipsum immo Deum cognominaverit atque

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 404. Cf. easdem fere sententias lib. 4 De sacram. c. 3 n. 10 sqq., necnon ibid. lib. 5 c, 1 n. 1.

[2]) Ibid. 14, 1060.

[3]) Consule J. Kellner, Der hl. Ambrosius, l. c. p. 49: „Während Melchisedech von Philo *βασιλεὺς δίκαιος* übersetzt wird, finden wir bei Ambrosius genauer rex pacis et iustitiae, wobei also auch das Salem zur Erklärung herbeigezogen wird."

[4]) Strenue significationem hebraici termini הוֹצִיא, quem Vulgata „proferre" recte vertit, defendit Oswald, l. c. p. 674 sq., ostendens eum in Sacra Scriptura quandoque ad actionem sacrificialem significandam adhiberi. Ceterum notamus S. Ambrosium in opere De sacramentis verbo „offerendi" usum esse.

ita singulariter insigniverit. Lib. enim 1 Hexäemeron c. 3 n. 9 ait: „Audisti auctorem, dubitare non debes. Hic est, in quo benedixit Melchisedech Abraham patrem multarum gentium dicens: ‚benedictus Abraham deo summo, qui fecit caelum et terram'. Et credidit Abraham et ait: ‚extendo manum meam ad deum summum, qui fecit caelum et terram'. Vides quia hoc non homo invenit, sed deus adnuntiavit. Deus est enim Melchisedech, qui est rex pacis et iustitiae nec initium dierum nec finem habens[1]." Non multo secus sentit lib. 1 De Abraham c. 3 n. 16, ubi eum Dei Filium appellat dicens: „Ideoque eum et Melchisedech benedixit; ‚erat enim sacerdos dei summi'. Quis est rex iustitiae, sacerdos dei nisi cui dicitur: ‚tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech', hoc est dei filius, sacerdos patris, qui sui corporis sacrificio patrem nostris repropitiavit delictis[2]?" Quodsi vero eum tantopere magnificaverit, nil mirum quod et reliquas eius qualitates summis laudibus extulerit. Sic praedicat eius divinam originem, cum ait: „sine matre secundum divinitatem, quia ex Patre Deo genitus est, unius substantiae cum Patre;" eius virgineam incarnationem his exprimit verbis: „sine patre secundum incarnationem;" eum esse aeternum ita profitetur: „initium et finem non habens." Quas perfectiones, quibus eum exornavit ac celebravit, uno complectens effato edicit: Similis Filio Dei, de quo ait Paulus ad Hebraeos: ‚Quia manet sacerdos in perpetuum'." Hoc verbum S. Apostoli consulto affert S. Ambrosius, ut munus sacerdotale Melchisedechi, quod Iesu Christi sacerdotio respondeat, quam maxime extollat. Quapropter de regia dignitate, qua rex Salem insignitus erat (Gen. 14, 18), nulla mentione facta animum ad eius sacerdotium unice attendit. Huius sacerdotii ratione commotus lib. 5 De sacram. c. 1 n. 1 eum immo „sanctum" appellat: „Cognovimus sacramentorum istorum figuram Abrahae temporibus praecessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech[3]." Neque minus utriusque sacrificii, scil. Melchisedechi et Ultimae Coenae, rem oblatam, quod ad externam speciem attinet, eandem fuisse censet

---

[1]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 1 p. 7 sq.

[2]) Ibid. p. 514. [3]) Migne, Patr. Lat. 16, 445.

lib. 4 De sacram. c. 3 n. 10: „Occurrit illi Melchisedech sacerdos, et obtulit ei panem et vinum. Quis habuit panem et vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit? Melchisedech[1]).“ Habuit tamen etiam Christus, ut in eodem libro c. 5 n. 21 et 22 refert: „Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem . . . fregit, fractumque apostolis suis et discipulis suis tradidit . . . Similiter etiam calicem postquam caenatum est . . . accepit . . . apostolis suis et discipulis suis tradidit[2]).“

Licet S. Ambrosius tot tantisque laudibus Melchisedechum extulerit, tamen ingens discrimen statuit inter ipsum et Iesum Christum. Quodsi illum quasi aeternum praedicat, ne obliviscamur ea sola de causa id dictum esse, quia plane inexspectate, improvise, neque patrem neque matrem habens a Sacra Scriptura inducitur. Quanto magis igitur Iesu Christo aeternitatem competere constabit, utpote qui sit ‚primus et novissimus‘[3])? Distinctius hoc explicat lib. 5 De sacram. c. 1 n. 1: „Audi, homo, quid dicat Paulus apostolus ad Hebraeos (7, 3). Ubi sunt qui Filium Dei dicunt esse de tempore Melchisedech? Dictum est, quia neque initium neque finem dierum habet: si Melchisedech non habet initium dierum, num Christus habere potuit? Sed non est plus figura quam veritas. Vides ergo, quia ipse primus et novissimus (Apoc. 1, 8). Primus, quia auctor est omnium: novissimus, non quod finem inveniat, sed universa concludat[4]).“

At enim perlustrantibus ea quae hucusque de Melchisedecho diximus mirum forte videri potest quod S. Ambrosius de ipso sacrificio regis Salem tam pauca, de sacerdotio autem eius tam multa verba fecerit. Sed meminisse oportet, quid sit proprie illud quod S. Episcopus noster c. 8 De mysteriis sibi demonstrandum proposuerit; probare nimirum ibi in animo habuit „antiquiora esse sacramenta Ecclesiae quam synagogae“. Id quod cuipiam forte paradoxum videri facile potest. Sed quodnam argumentum ad persuadendum efficacius atque ad

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 438. [2]) Ibid. 16, 443.

[3]) Textus Apoc. 1, 8 est: „Ego sum α et ω, principium et finis.“

[4]) Migne, Patr. Lat. 16, 445. 446.

intellegendum accomodatius afferri potuit quam quod de eo dissereret quo nemo post hominum memoriam prior sacrificium faceret? Ergo disputans luculenter de Melchisedech insimul et eius sacrificium omnium antiquissimum esse comprobavit seu, ut rectissime notavit lib. 4 De sacram. c. 3 n. 10, eum optimo iure, auctorem sacramentorum[1]" appellavit. Non enim adeo curae ei erat de pane et vino, quae ille „protulerat", verba multa facere, quam potius inquirere quatenus istud S. Apostoli Hebr. 7, 3 in illo comprobatum esset. Cum vero verbum laudatum S. Apostoli ad Iesu Christi perpetuum sacerdotium certe referatur, apparet S. Ambrosium regem Salem cum Iesu Christo coaequavisse seu eodem numero habuisse i. e. non modo typum, verum etiam Iesum Christum eum censuisse. Ast eadem ratione probatum est a S. Praesule et sacerdotium et sacrificium Iesu Christi eucharisticum esse prius tempore quam Iudaeorum Antiquae Legis sacrificia[2]).

§ 3. Quid de singulis partibus Missae a se celebratae dixerit.

S. Ambrosium Missam celebravisse multa docent documenta. Paulinus equidem biographus enarrat eum „trans Tiberim apud quandam clarissimam invitatum sacrificium in domo obtulisse[3])." Epist. 20 n. 4 ipse S. Episcopus haec habet: „Sequenti die . . . missam facere coepi[4])." De excessu fratris sui Satyri n. 80 ait: „Tibi nunc, omnipotens Deus,

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 438.

[2]) Recte de S. Ambrosii et S. Augustini eucharistica doctrina Adam l. c. p. 53, iudicat: „Nicht minder auffällig unterscheiden sich beide Kirchenlehrer in eucharistischen Einzelfragen. So bezüglich der Typik des Melchisedech. Augustin hält im Anschluß an Cyprian den König von Salem für ein Vorbild des Hohenpriestertums Christi, und zwar lediglich deswegen, weil er Brot und Wein opferte. Ambrosius dagegen identifiziert unter Berufung auf den Hebräerbrief Melchisedech mit Christus selbst, und zwar nicht wegen der Opfergaben von Brot und Wein, sondern wegen seiner wunderbaren Herkunft ohne Vater und Mutter, und erschließt hieraus den zeitlichen Vorrang der eucharistischen Feier vor den jüdischen Opfern." Bellarminus, l. c. De Missa lib. 1 c. 6, eandem comparationem a S. Ambrosio institutam laudat.

[3]) Migne, Patr. Lat. 14, 30. [4]) Ibid. 16, 995.

innoxiam commendo animam; tibi hostiam offero; cape propitius ac serenus fraternum munus sacrificium sacerdotis[1])." De obitu Valentiniani n. 56 se non „floribus tumulum aspersurum" defuncti imperatoris, sed „sacramentis caelestibus, oblationibus" eius animae consulturum esse his promittit verbis: „Date manibus sancta mysteria . . . date sacramenta caelestia, animam nepotis nostris oblationibus prosequamur. Extollite populi mecum manus in sancta, ut eo saltem munere vicem eius meritis rependamus. Non ergo floribus tumulum eius aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam. Spargent alii plenis lilia calathis, nobis lilium est Christus. Hoc reliquias eius sacrabo[2])." Et ibidem de Gratiano et Valentiniano, defunctis imperatoribus, verba faciens exclamat n. 78: „Omnibus vos oblationibus frequentabo[3]." Faustinum de sorore vita functa, cum hominum consortium fugeret, eo consolabatur quod ad sacrificium pro defunctae salute faciendum eum exhortabatur. Ait enim Epist. 39 n. 4: „Itaque non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor: nec moestificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandum arbitror[4])."

Quaeritur nunc an ex eius scriptis ritus Missae illa aetate celebratae reconstrui possit. Quemnam ritum accurate S. Ambrosius observaverit, ex solis eius scriptis plene ac penitus cognoscere minime valemus, cum non data opera, sed oblata occasione idque strictim nonnullarum ipsius ritus partium fecerit mentionem. Ratio vero cur de Missa tam pauca scriptis mandaverit, in singulari illius aetatis consuetudine quaerenda est, quae eo redibat ut mysteria religionis christianae, imprimis S. Eucharistiae, profanorum oculis auribusque stricte occultarentur. Disciplinam videlicet arcani tunc temporis adhuc viguisse testatur S. Augustinus, qui Tract. 96 in Ioan. n. 3 ait: „Catechumenis sacramenta fidelium non produntur[5])." Quodsi perpendamus S. Episcopum iam commune secretum fidelissime custodiendum iudicavisse, cum Expos. in ps. 118 serm. 2 n. 26 profiteretur: „Peccat Deo, qui commissa sibi

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 1315. [2]) Ibid. 16, 1375.
[3]) Ibid. 16, 1382. [4]) Ibid. 16, 1099. [5]) Ibid. 35, 1875.

secreta mysteria putaverit indignis esse vulganda. Periculum itaque est non solum falsa dicere, sed etiam vera, si quis ea insinuet quibus non oportet[1]," lib. 1 De Cain et Abel c. 9 n. 37 vero: „Cave ne imprudenter loquaris, . . . cave ne incaute symboli vel dominicae orationis divulges mysteria[2]," nil mirum quod etiam de Missa propter disciplinam arcani caute ac tecte loquebatur. Huius cautionis multa adsunt documenta, quorum nonnulla placet ex ipso afferre. Sic legimus: „Ad mysteria vocaris et nescis: disces cum veneris." (De Elia et ieiunio c. 10 n. 36)[3] vel: „Est et illa prophetica (scil. sepultura), ut supra sepulcra quaedam ponamus, quae lector agnoscis, infidelis intellegere non debet: non quod cibus imperetur aut potus, sed sacrae oblationis veneranda communio reveletur" (lib. 7 Exp. evang. sec. Lucam n. 43)[4] vel: „Signatum debere apud te manere mysterium, ne divulgetur, quibus non convenit" (De myst. c. 9 n. 55)[5] vel: „Quare cibum et potum dixerit, fidelis intellege (ibid. n. 57)[6]. Nihilominus si quae in eius scriptis hac et illac dispersa inveniuntur, in unum colligamus, singulas Missae partes haut difficulter dignoscere possumus. Sic praeprimis eas partes, quae Missam catechumenorum et Missam fidelium complectuntur, manifeste distinguere nos posse putamus.

I. Et primo quidem quod ad Missam catechumenorum spectat, quonam ordine celebrata fuerit, ex Epist. 20 n. 4 saltem conicere possumus, cum S. Antistes ibi „lectiones", „tractatum", „symbolum" discernat. Ait enim: „Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones atque tractatum, dimissis catechumenis, symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicae[7]." Lectiones tum ex libris Veteris tum ex libris Novi Testamenti desumebantur, ut probatur Expos. in ps. 118 serm. 1 n. 11 („Quodsi fugias lectionem propheticam, si domi non legas, in ecclesia audire nolis)[8]" necnon ibidem serm. 6 n. 16 (Pulchre lectum est hodie: ‚Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum', Matth. 10, 16)[9].

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 15, 1219.
[2]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 1 p. 370.
[3]) Ibid. vol. 32, 2 p. 433. [4]) Ibid. vol. 32, 4 p. 300.
[5]) Migne, Patr. Lat. 16, 407. [6]) Ibid. 16, 408.
[7]) Ibid. 16, 995. [8]) Ibid. 15, 1204. [9]) Ibid. 15, 1273.

Hoc S. Scripurae effatum S. Ambrosius eodem loco fusius explicat seu „tractatum" ponit. Lectiones saepe populo applaudente pronuntiabantur, ut Apolog. David. alt. c. 7 n. 39 testatur: „Quod ad naturam spectat divinitatis, evangelica lectione reseratum est, quam pio prosecuti estis adsensu, cum audiretis legi etc[1])." Quandoque applaudentes reprobavit, quia strepitu suo alios perturbarent, admiratus quod, cum psalmi recitarentur, nullus fieret strepitus. Cf. Enarr. in ps. 1 praef. n. 9: „Quantum laboratur in Ecclesia ut fiat silentium cum lectiones leguntur? Si unus loquatur, obstrepunt universi; cum psalmus legitur, ipse sibi est effector silentii. Omnes loquuntur et nullus obstrepit[2])." Inter singulas lectiones psalmos pulcherrimo concentu cantatos esse cognoscimus ex lib. 3 Hexaëm. c. 5 n. 23: „Unde bene mari plerumque comparatur ecclesia, quae primo ingredientis populi agmine totis vestibulis undas vomit, deinde in oratione totius plebis tamquam undis refluentibus stridit, cum responsoriis psalmorum cantus virorum, mulierum, virginum, parvulorum consonus undarum fragor resultat[3])."

Tractatu seu sermone facto catechumenos dimissos Missaeque catechumenorum factum esse finem et exinde Missam fidelium celebrari coeptam ex Epist. 20 n. 4 iam supra allegata discimus: „. . . post lectiones atque tractatum, dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicae. Illic nuntiatum est mihi comperto quod ad Portianam basilicam de palatio decanos misissent, et vela suspenderent, populi partem eo pergere. Ego tamen mansi in munere, missam facere coepi[4])." Non tamen ex scriptis eius apparet utrum pro catechumenis, antequam ex ecclesia exirent, preces speciales factae sint necne. Aliunde tamen constat tum temporis eam consuetudinem viguisse, ut pro adstantium paenitentium salute preces propriae funderentur[5]) nec minus ex iis, quae iam supra commemoravimus, colligi potest ipsum S. Episcopum

[1]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 2 p. 384.
[2]) Migne, Patr. Lat. 14, 925.
[3]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 1 p. 75.
[4]) Migne, Patr. Lat. 16, 995.
[5]) Cf. lib. 1 De paenit. c. 15 n. 80, Migne, Patr. Lat. 16, 490.

coram paenitentibus, ut nihil dicam de impaenitentibus, a sacrificio celebrando destitisse[1]).

II. Quonam imprimis temporis momento Missa fidelium celebrari coepta sit, ex Epist, 20 n. 5 comperimus, ubi post verba: „. . . dimissis catechumenis . . . ego tamen mansi in munere, missam facere coepi“ statim haec ponuntur: „Dum offero, raptum cognovi a populo Castulum quendam, quem presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissime flere et orare in ipsa oblatione Deum coepi, ut subveniret, ne cuius sanguis in causa Ecclesiae fieret[2]).“

Quae res Deo oblatae sint, S. Antistes permultis illis locis indicat, ubi de consecratione disserens corpori et sanguini Iesu Christi opponit elementa panis et vini, quae per conversionem exsistere desierunt. Ne repetamus, quae in prima parte opusculi nostri diximus, sufficiat hoc effatum citasse ex lib. 4 De sacram. c. 5 n. 23: „Antequam consecretur, panis est . . . Et ante verba Christi calix vini et aquae plenus[3])“, unde insimul apparet in sacrificio offerendo vinum aqua commixtum in usu fuisse, id quod etiam De myster. c. 3 n. 14 hisce comprobatur: „Aqua cum salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri et salutaris poculi temperatur[4]).“ Rationem vero commixtionis aquae et vini indicat dicens per eam repraesentari aquam e petra a Moyse elicitam necnon aquam e Christi aperto latere pro-

[1]) Consule Vitam S. Ambrosii a Paulino conscriptam n. 24: „. . . copiam imperatori ingrediendi Ecclesiam denegavit,“ Migne, Patr. Lat. 14, 35; necnon Epist. 51 n. 13, ubi Theodosium post temerariam caedem Callinici factam sic alloquitur: „Offerre non audeo sacrificium, si volueris assistere.“ Ibid. 16, 1163.

[2]) Migne, Patr. Lat. 16, 995.

[3]) Ibid. 16, 444. Adi Binterim, l. c. lib. 4, ubi auctor morem tunc in ecclesia Mediolanensi vigentem apportandi a fidelibus ad altare panem et vinum illustrat.

[4]) Migne, Patr. Lat. 16, 393. Hoc loco Bellarminus, l. c. lib. 4 c. 10, disputans De vino temperando aqua in sacro calice, innixus est. Cf. S. Thomas, Summa theologica, vol. IV qu. 74 art. 6, necnon Edm. Martène, De antiquis Ecclesiae ritibus, tom. 1 p. 118 et p. 119. Consule etiam Siegel, l. c. p. 51 sq., qui ad S. Ambrosii lib. 5 De sacram. c. 1 nos remittit.

fluentem. Altare, in quo oblatio fiebat, tanto in honore fuit, ut speciali modo Deo „dedicatum“ esset, qua de re S. Ambrosius Exhort. virg. c. 14 n. 94 verba facit. Nec parvi interest didicisse iam tunc moris fuisse ut altare odorifero ture adoleretur, id quod ex lib. 1 Expos. evang. sec. Luc. n. 28 comperimus: „Apparuit angelus a dextris altaris incensi ... atque utinam nobis adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus[1].“ Porro pro certo habendum est, altare etiam bissynis pallis, velis, variis ex auro atque argento donariis, cereis, floribus exornatum fuisse, quod Ambrosius De myster. c. 8 n. 43 „altare compositum[2]“ appellat.

Oblatione facta ut videtur, preces persolvebantur. Id conicimus ex lib. 2 De Cain et Abel c. 6 n. 21, ubi „oblatio“ et „oratio“ uno connexu immo bis ita iuxta ponuntur, ut persuasum habeamus utramque intime sibi cohaerere et invicem se excipere. Etenim: „Oblationem atque orationem oportet non confusam esse, sed competenti divisione distinctam. In omni enim re melior est distinctio; multo magis in oratione atque oblatione, quae nisi certas divisiones habeat, fit obscurior[3].“ Quod enim S. Episcopus expresse praemonet, ne hae duae res commisceantur, argumento est eas in Missae ordine iuxta positas fuisse. Quaeritur autem quid haec „oratio“ intellegenda sit. Ansam quandam praebet De institutione virg. c. 2 n. 8. ubi ex 1 Tim. 2, 1 et ex Psalmo VIII singulae orationis partis deducuntur: „Bona oratio, quae ordinem servat. ut primo a divinis inchoemus laudibus. Si enim cum apud hominem agimus, benevolum volumus iudicem facere, quanto magis cum Dominum nostrum precamur! Primo ergo immolemus Deo sacrificium laudis, unde et Apostolus ait: ‚Obsecro ergo primo omnium fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones (1. Tim. 2)‘. Doceat te Davidicus psalmus octavus, qui coepit a Dei laudibus: ‚Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos. Ex ore

[1]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 4 p. 28. Cf. Siegel, l. c. p. 27, qui, ut antiquissimum hunc morem in Ecclesia viguisse demonstret, hoc affert effatum.

[2]) Migne, Patr. Lat. 16, 403. Adi hac de re notam Edit. Bened.

[3]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 1 p. 396.

infantium et lactentium perfecisti laudem'. Hactenus oratio: inde sequitur obsecratio, ut destruatur inimicus: postulatio, ut lunam et stellas videat; lunam Ecclesiam, stellas filios Ecclesiae, caelestis gratiae luce fulgentes: et quod petit, prophetico spiritu visurum se esse promittit; gratiarum actio, quod tuetur Dominus hominem et hunc limum corporis nostri divina visitatione confirmat; vel quod homini animantium genera subiecit[1])." Brevius idem traditur in lib. 6 De sacram. c. 5 n. 22: Prima ergo oratio laudem debet habere Dei: secunda supplicationem: tertia postulationem: quarta gratiarum actionem[2])."

1. Rationem, cur laudes Deo dandae sint, De instit. virg. c. 2 n. 9 hanc reddit: „Si cum apud hominem agimus, benevolum volumus iudicem facere, quanto magis, cum Dominum nostrum precamur[3])?" Et lib. 6 De sacram. c. 5 n. 22: „Deinde unde debeas incipere[4]). Dic mihi, si velis hominem rogare et sic incipias: Da mihi, ecce illud quod te peto; nonne arrogans videtur oratio? Et ideo inchoari oratio debet a Dei laude, ut roges omnipotentem Deum, cui possibilia sunt omnia, qui habet voluntatem praestandi[5])." Etiam in explicanda Oratione Dominica rationem laudum Deo faciendarum lib. 6 De sacram. c. 5 n. 24 ita indicat: „Laus Dei est quod pater praedicatur: in eo pietatis gloria. Laus Dei quia in caelis habitat, non in terris[5])"; cum vero Psalmum VIII explanat, satis habet pronuntiare primum versum: „Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra."

2. Obsecratio seu supplicatio lib. 6 De sacram. c. 5 n. 24 sic illustratur: „Sanctificetur nomen tuum, id est, ut sanctificet servos suos; nomen enim illius sanctificatur in nobis, quando praedicantur homines christiani[6])." Hoc loco indicat S. Ambrosius „obsecrationisque" haud obscuram praebet explicationem nomen Dei sanctificatum iri eo quod fideles operam dent, ut vitae sanctitatem assequantur et ut pro Ecclesiae propagatione, unitate, pace preces fundant. Quantum ad verbum „prae-

---

1) Migne, Patr. Lat. 16, 309. 2) Ibid. 16, 459. 3) Ibid. 16, 309.
4) Hurter, l. c. vol. 37 p. 81, suadet, ut addatur verbum „videamus".
5) Migne, Patr. Lat. 16, 459. 6) Ibid. 16, 460.

dicandi“, notamus S. Antistitem consuetudinem tunc temporis vigentem in animo habuisse, qua in antiqua liturgia nomina eorum, qui beneficiis in Ecclesiam vel pauperes collatis optime meriti essent, e tabulis, dum sacrificium offerebatur, legebantur[1]).

Longe aliter S. Episcopus obsecrationem alio loco eiusdem operis, lib. 6 De sacram. c. 5 n. 25, exponit Psalmi VIII versu quarto innixus: „Deinde obsecratio: ‚Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum: hoc est, caelos videbo, lunam et stellas, quas tu fundasti.‘ Utique non caelum, dicit, videbo, sed videbo caelos, in quibus incipit albescere gratia et splendor caelestis. Hos sibi caelos tunc promittebat Propheta dari, qui caelestem gratiam a Domino mererentur. ‚Lunam et stellas, quas tu fundasti‘: lunam Ecclesiam: stellas vocat sanctos caelesti gratia refulgentes[2]).“ Allegorica enim methodo utens „caelos“ dicit esse „lunam et stellas“; „lunam“ declarat esse Ecclesiam et fideles; „stellas“ vero beatos caeli incolas. Quapropter inter fideles in terra viventes „in quibus incipit albescere gratia et splendor caelestis“ et inter sanctos „caelesti gratia refulgentes“[3]) distinguit, quorum intercessioni salus Ecclesiae sit commendanda.

Hac occasione haud praetermittendam putamus quaestionem, quid S. Ambrosius de defunctorum commemoratione in Missae sacrificio facienda docuerit. Statuimus imprimis in eius scriptis non inveniri argumentum, quo citra dubium probetur quonam

---

[1]) Quantum ad diptycha, J. Hergenröther, Kirchengeschichte, vol. I ed. 4 (Freiburg i. Br. 1902) p. 464, ita rem explicat: „Die δίπτυχα (bis plicata) waren meist inwendig mit Wachs überzogen, aus Elfenbein oder anderen Stoffen gearbeitet, ähnlich den im gewöhnlichen Leben üblichen Schreibtafeln (Luc. 1, 63), die als Notizbücher oder Register (fasti) dienten. Die Namen der darin verzeichneten Geistlichen und Laien wurden beim Gottesdienste vom Ambo herab verlesen.“

[2]) Migne, Patr. Lat. 16, 460. Quomodo S. Antistes inter caelum et caelos distinxerit necnon quomodo aeternam beatitudinem merendam censuerit, vide apud Niederhuber, Eschatologie des hl. Ambrosius (Paderborn 1907) p. 46 sqq., necnon eiusdem auctoris Die Lehre des hl. Ambrosius vom Reiche Gottes auf Erden (Paderborn 1904) p. 141 sqq. E contra Kirchenlexikon, 2 ed. vol. V p. 210, nullum re vera statuendum esse discrimen affirmat.

[3]) Cf. Epist. 22, 4, ubi salutem Ecclesiae intercessioni Sanctorum comendatam esse legimus.

temporis momento exacte interiecta sit. Quantumvis alicubi in Canone sine dubio locum habuerit, tamen incertum manet, utrum cum commemoratione vivorum coniuncta fuerit necne. Quamobrem negamus ex effato De obitu Valentiniani n. 56: „Numquam ego piorum fratrum separabo nomina, merita discernam"[1]), indubitate sequi ut „pii fratres" intellegendi sint omnes defuncti, qui in orationibus non separentur a vivis sed simul coniungantur cum iisdem. Sed affirmamus loco citato sermonem esse nominatim de duobus defunctis imperatoribus, scil. uno Valentiniano, quem licet catechumenum egregia vita defunctum nihilominus una cum ceteris fidei christianae sectatoribus in Missa Deo commendaturum se esse pollicetur, et altero Gratiano, quem cum iuniore fratre et sanguinis consortium et fidei vinculum coniunxit[2]). Unde apparet commemorationem defunctorum in sacrificio quidem locum obtinuisse, sed comprobari non posse an iuxta commemorationem vivorum facta sit.

Nec praetermittendum putamus S. Ambrosium in obsecratione instituenda pacem praecipue Ecclesiae in animo habuisse, quod De institutione virg. c. 2 n. 9 his exprimit verbis: „Inde sequitur obsecratio, ut destruatur inimicus[3])."

3. Quod ad postulationem attinet, certum est eam cum obsecratione intime cohaesisse. Vidimus enim supra S. Episcopum laudatum versum quartum Psalmi VIII De institutione virg. c. 2 n. 9 ad postulationem, lib. vero 6 De sacram. c. 5 n. 25 ad obsecrationem retulisse. In explicatione orationis Dominicae singulas preces, quae incipiunt ab: „Adveniat regnum tuum etc.", in explicatione vero Psalmi VIII singulos versus, qui incipiunt a verbis: „Quid est homo etc.", ad postulationem pertinere ait neque multum enititur ut singula momenta diligentius investiget. Ferd. Probst[4]), qui magna cum industria imprimis in hanc „orationis" partem inquisivit, tamen ad extremum concedit ea quae de postulatione a S. Am-

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 1376.

[2]) Cf. F. Probst, l. c. p. 253, e contra Silbert, l. c. p. 207 sq. Recte igitur Fr. X. Schulte, locum hunc vertit: „Niemals werde ich die Namen dieser frommen Brüder scheiden, wie ich ihre Verdienste niemals trenne."

[3]) Migne, Patr. Lat. 16, 307. [4]) Liturgie, l. c. p. 254 sq.

brosio proposita eruerit non esse nisi coniecturam, cum res a S. Episcopo non satis perspicue illustrata sit.

4. Aggrediamur nunc gratiarum actionem. Iam communiter loquendo officium Deo gratias agendi homini incumbere De excessu fratris sui Satyri n. 44 docet, ubi fratris e fluctibus erepti gratum animum his effert laudibus: „Denique primus servatus ex undis et in portum terrenae stationis evectus, praesulem suum, cui se crediderat, recognovit: statimque . . . Dei ecclesiam requisivit, ut ageret gratias liberatus et mysteria aeterna cognosceret, pronuntians nullum referenda gratia maius esse officium. Quodsi homini non referre, simile homicidio iudicatum est, quantum crimen est non referre Deo[1].“ Paucis intermissis animos nostros dirigit ad res, quae nos circumdant et quae, licet rationis expertes, tamen insciae Deo gratias referant. Ait enim: „Quid est tam secundum naturam quam referre auctori gratiam? Aspice caelum hoc; nonne auctori refert gratiam, cum videtur? ‚Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum.‘ Mare ipsum, cum sedatum atque transquillum est, divinae serenitatis testatur indicium: cum movetur indignatio superna terrori est. Nonne omnes Dei gratiam iure miramur, cum advertimus quod insensibilis natura quadam sensibili ratione suos fluctus coerceat, et fines suos unda cognoscat? Nam de terris quid loquar, quae divino oboedientes praecepto omnibus sponte animantibus pabulum subministrant; atque id quod acceperint agri, velut crescentibus usuris multiplicatum cumulatumque restituunt?“ Epist. vero 45 n. 16, postquam probavit Deo gratiam habere nos debere pro mundi creatione, non neglegendam esse gratiarum actionem pro singulari praesidio, quod homini lapso praestiterit: „Quanto magis ille primus homo totius erat mundi incola . . . opus Dei recens, confabulator assiduus, civis sanctorum . . ., quem Dominus tuebatur ut opus suum neque ut bonus parens atque auctor deserebat . . . nec derelinquit bonus Pastor, quem etiam censu propriae hereditatis redemit[2].“

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 1105. Cf. notam ad hunc locum Edit. Bened.
[2]) Ibid. 16, 1144.

Gratiarum actionem successisse postulationi inde apparet quod lib. 6 De sacram. c. 5 n. 24 postulatione finita statim haec ponuntur verba: „Quid sequitur? Audi, quid dicat sacerdos: per Dominum nostrum Iesum Christum, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas cum Spiritu sancto a saeculis, et nunc et semper, et in omnia saecula saeculorum. Amen[1].“ Cum nemo non videat in hac ultima parte etiam de laudibus, quibus prima „orationis“ pars constituatur, sermonem esse, provocamus ad ea quae S. Ambrosius in eodem libro n. 23 expresse edixerit, scil. „orationem“ ut a laudibus incipiebat ita laudibus concludi debere. Ait enim: „Quarto, quomodo coepit (scil. oratio) a laudibus Dei, sic debet in laudem desinere[2].“

III. Accedimus ad investigandam consecrationem. Lib. 4 De sacram. c. 4 n. 14 expresse indicatur eam inter postulationem et gratiarum actionem inveniri: „Reliqua omnia, quae dicuntur in superioribus, a sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi[3].“ Formam consecrationis in eodem libro c. 5 n. 21 invenimus hanc: „Dicit sacerdos: Fac nobis hanc oblationem adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem: quod figura est corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in caelum ad te, sancte Pater omnipotens aeterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque apostolis suis et discipulis suis tradidit dicens: ‚Accipite et edite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur.‘ Similiter etiam calicem postquam caenatum est pridie, quam pateretur, accepit, respexit in caelum ad te, sancte Pater omnipotens aeterne Deus, gratias agens benedixit, apostolis suis et discipulis suis tradidit dicens: Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus‘[4].“ Verbis consecrationis prolatis fideles consentiebant respondentes: „Amen“. De myster. enim

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 470. [2]) Ibid. 16, 438.
[3]) Ibid. 16, 440. [4]) Ibid. 16, 443.

c. 9 n. 54 aperte id docet S. Ambrosius: „Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est, verum est[1]).“ Verba Iesu Christi institutionis lib. 4 De sacram c. 6 n. 26 ita continuat alloquens neophytum: Vide quid dicat: Quotiescumque hoc feceritis, toties commemorationem mei facitis, donec iterum adveniam.“ Et statim sine ulla intermissione prosequitur: „Et sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimae eius passionis, et ab inferis resurrectionis, et in caelum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum et calicem vitae aeternae: et petimus et precamur, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri iusti Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech[2]).“

Quae pars Missae nunc secuta sit, si minus accurate indicare, at certe saltem conicere possumus ex voce „postea,“ quam lib. 5 De sacram. c. 4 n. 24 ad Orationem Dominicam in Missa recitandam animos nostros convertens adhibet. Postquam enim peractae consecrationis mentionem fecit, annuntiat Orationem Dominicam his verbis: „Quare ergo in Oratione Dominica, quae postea sequitur, ait: ‚Panem nostrum‘[3])?“

Inveniuntur porro in eius scriptis effata, quae certe ad S. Communionem sumendam referri oportet, licet non adsit argumentum quonam temporis momento fideles ad sacram mensam accesserint. Suaviter enim invitat eos verbis Sacrae Scripturae (Cant. 1, 1) lib. 5 De sacram. c. 2 n. 5: „Venisti ad altare, vocat te Dominus Iesus vel animam tuam vel ecclesiam, et ait: Osculetur me ab osculis oris mei[4]). ‚Non habet synagoga osculum, habet ecclesia . . . Osculamur ergo Christum communionis osculo[5]).“ Osculo indicari pacem, quae inter fideles, antequam S. Communionem sumerent, florere deberet, S. Antistes eo indicavit quod lib. 2 De paenitentia c. 3 n. 18 de osculo, quod pater filio prodigo dedisset, disputans sic professus est: „Tam cito veniam meretur (scil. filius prodigus),

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 407. Cf. lib. 4 De sacram. c. 5 n. 25.
[2]) Ibid. 16, 445. [3]) Ibid. 16, 452.
[4]) Ibid. 16, 447. [5]) Ibid. 16, 1117.

ut venienti et adhuc longe posito ocurrat pater, osculum tribuat, quod insigne est sacrae pacis[1]." Ad altare S. Communionem distributam esse discimus De Elia et ieiunio c. 10 n. 3: „Baptizantur electi, veniunt ad altare, accipiunt sacramentum[2];" eos cibo eucharistico refectos respondisse „Amen" apparet ex lib. 4 De sacram. c. 5 n. 25: „Ergo non otiose dicis tu: Amen, iam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. Dicit sacerdos: Corpus Christi; et tu dicis: Amen, hoc est, verum[3]." Hoc argumentum insimul illustrat consuetudinem illius aetatis respondendi „Amen" non modo post S. Communionem sumptam, sed etiam post verba consecrationis prolata. Denique etiam dum sacerdos populum benedicebat, respondebatur „Amen". Enarr. enim in ps. 40 n. 36 haec habet: „Sicut cum sacerdos benedixit, populus respondet, amen, confirmans benedictionem sibi, quam plebi sacerdos a Domino deprecatur[4]." S. Ambrosius tamen non indicat, quonam temporis momento benedictio data sit. Permagnam vero Ecclesiae laetitiam ob sumptam a fidelibus S. Communionem lib. 5 De sacram. c. 3 n. 14 his laudat verbis: „Venistis ergo ad altare, accepistis gratiam Christi, sacramenta estis caelestia consecuti. Gaudet Ecclesia redemptione multorum, et adstare sibi familiam candidatam spiritali exsultatione laetatur . . . Laetata invocat Christum, paratum habens convivium, quod dignum caelesti epulatione videatur[5]."

En quid in scriptis S. Episcopi nostri de singulis Missae partibus nobis praesto sit. Verum quidem est ritum illa aetate observatum, cum non ex professo sed diversissimis locis quasi dispersim illustretur, non integre reconstrui posse;

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 500.

[2]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 2 p. 430.

[3]) Migne, Patr. Lat. 16, 444.

[4]) Ibid. 14, 1084.

[5]) Ibid. 16, 449. Cf. eiusdem libri c. 3 n. 13, ubi Psalmi XXII intra S. Communionis distributionem recitati hunc in modum mentio fit: „Quoties audisti vicesimum secundum Psalmum, et non intellexisti? Vide quemadmodum aptus sit caelestibus sacramentis," Migne, Patr. Lat. 16, 448.

nihilominus sufficere prorsus eum putamus ad antiquitatem Missae confirmandam[1]).

§ 4. Quid de S. Eucharistiae ministro senserit.

Nil mirum quod S. Praesul de Missae sacrificio disserens facere non potuit quin etiam ad S. Eucharistiae ministrum animos audientium adverteret. Num quisquam praeter sacerdotem est, cui Missae sacrificium offerre fas sit! Iam vero „Principem sacerdotem" seu Iesum Christum ante oculos habens munus sacerdotis Enarr. in ps. 38 n. 25 his laudat verbis: „Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem; vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequimur ut possumus sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium: etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio[2])." Et De viduis c. 10 n. 65: „Simul qualis esse debeat qui Christo ministrat, ostenditur; oportet enim primo carere variarum illecebris voluptatum . . ., ut corpus et sanguinem Christi ministret. Neque enim potest quisquam peccatis suis aeger, minimeque sanus, immortalium sanitatum remedia ministrare. Vide quid agas, sacerdos, nec febrienti manu corpus Christi attingas[3])." Iam ipsum nomen clerici, quod inditum sit sacerdoti, Dei possessionem satis testari S. Episcopus Epist. 81 n. 14 ita profitetur: „Sed tu quicumque in clero es Domini,

---

[1]) Ad totam hanc parapraphum consule F. Probst, l. c. p. 239—271, qui Liturgia Romana a L. A. Muratori Venetiae 1748 edita fultus necnon locos e scriptis S. Ambrosii adhibens ritum Missae illis temporibus celebratae reconstruere conatus est. Quod ad Canonem Missae, qui in libris De sacramentis continetur, attinet, vide L. A. Hoppe, l. c. p. 92, ubi auctor laudatos libros a S. Ambrosio abiudicans censet eum esse „ein korrumpierter römischer Kanon". Tamen causis cur libros hos adhibere nos posse in Prolegomeno allatis Canonem in hac paragrapho non praetermittendum putavimus. A. Baumstark, l. c. p. 333, existimat in his libris Canonem immo liturgiae ecclesiae Ravennatensis contineri, ast cum hanc assertionem nullo comprobaverit argumento, a G. Rauschen, l. c. p. 84, iure refutatur.

[2]) Migne, Patr. Lat. 14, 1051. Pulchrum titulum huic inciso inscribit Béguinot, l. c. p. 357: „Le prêtre y tient la place de Jésus-Christ; le prêtre agit visiblement et Jésus-Christ d'une manière invisible."

[3]) Migne, Patr. Lat. 16, 254.

portio eius et possessio, noli recedere de Domini possessione[1])." Similia habet De fuga saeculi c. 2 n. 7: „Ergo cui Deus portio est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere . . . Haec est vera sacerdotalis fuga: abdicatio domesticorum et quaedam alienatio carissimorum, ut suis etiam se abneget, qui servire Deo gestit . . . Fugitans ergo est suorum sacri altaris eius minister[2])." Exemplum, quod sacerdotes imitari oporteat, censet Melchisedech, quem in Epist. 62 n. 49 sedulo ac strenue commendat. Melchisedech enim non solum Filii Dei typus est, qui eodem modo ac Melchisedech est ‚sine patre, sine matre, sine generationis enumeratione neque initium dierum neque finem vitae habens,' sed etiam exemplar sacerdotum Novae Legis, nam etiam ad sacerdotes Novae Legis referendum est illud ‚sine patre sine matre', cum in sacerdotibus „non generis nobilitas, sed morum eligatur gratia et virtutum praerogativa[3])." Cum vero sacerdotium Dei donum sit, necesse est a Deo vocetur minister eius, sicut Aaron vocatus est a Deo sacerdos. Quam praeclaram suam sententiam S. Episcopus Epist. 62 n. 48 his concipit verbis: „Ideo et Aaron sacerdotem ipse elegit, ut non humana cupiditas in eligendo sacerdote praeponderaret, sed gratia Dei, non voluntaria oblatio: nec propria assumptio, sed caelestis vocatio, ut is offerat munera pro peccatis, qui possit affici pro peccantibus . . . Non sibi quis honorem debet sumere, sed vocari a Deo, sicut et Aaron; et ita Christus non exegit, sed accepit sacerdotium[4])."

Quibus ex effatis apparet dignitatem status sacerdotalis consistere in offerendo sacrificio, quam vel summis honoribus humanis anteponendam esse in Exhort. virg. c. 12 n. 82 ita docet: „Habemus nos sacerdotes nostram nobilitatem praefecturis et consulatibus praeferendam; habemus fidei dignitates, quae perire non norunt[5])."

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 1275.
[2]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 2 p. 167.
[3]) Migne, Patr. Lat. 16, 1202. [4]) Ibid. 16, 1202.
[5]) Ibid. 16, 360.

Sed cum non modo sacerdotium[1]), verum etiam status virginalis[2]) cum S. Eucharistia intime cohaereant eo quod inter sacrificium et inter castam virginitatem mutuus quidam moralis nexus exsistat, — immo in Antiqua Lege a sacerdotibus eminens vitae perfectio diserto praecepto exposcebatur, — S. Praesul clericos suos ad caelebem vitam agendam diligenter instituit. Et pulchre quidem in Enarr. in ps. 39 n. 3 exsultat: „Gaudentes canimus hymnum Deo nostro, quia novarum virtutum praecepta cognovimus, ut nostra omnia relinquamus Christum sequentes . . . Angelorum etiam more nuptias refutamus[3]).“ Nec minus egregie De bened. patriarch. c. 3 n. 12 Christi profert sublime exemplum: „Quis facta Christi potuit adaequare? Tum praeterea immaculatus et castus de hoc terreno diversorio et impuritatis auctoribus manubias reportavit, locum stupris et flagitiis vacantem ad incolatum sanctorum verbis caelestibus et gladio capiens spiritali, ut ubi inhabitatores ante lasciviae et principes luxuriae versabantur . . ., ibi nunc sancti sacerdotes magisteria doceant castitatis et plurima virginalis integritatis exempla quodam supernae lucis fulgore resplendeant[4]).“ Et De viduis c. 10 n. 65 de leprosis a Salvatore mundatis verba faciens: „Si mundos eos, qui ante fuerunt leprosi, Christus iubet occurrere sacerdotibus, quanto magis mundum ipsum convenit esse sacerdotem[5]) . . .“

Quae vero aliis sacerdotibus observanda mandaverat, ipse vitae suae exemplo sane comprobabat. Quam ob rem Valen-

---

[1]) Heinrich-Gutberlet, l. c. vol. IX p. 815: „Korrelat zum Begriff des Opfers ist der des Priesters; nur vom Priester kann das Opfer dargebracht werden, und wiederum die vorzüglichste ganz charakteristische Funktion des Priesters ist die Darbringung des Opfers.“

[2]) Oswald, l. c. vol. I p. 731: „Es ist schon früher angedeutet, in welch innerlicher Verbindung die Virginität mit der Eucharistie und dem Opfer stehe; und aus der Kirchengeschichte ist ebenfalls bekannt, daß von jeher und immer die Feier des hl. Opfers, schon nach gewissen Winken des A. B., für die fast an Notwendigkeit reichende Ziemlichkeit des priesterlichen Zölibats ist angerufen worden. Opfer und Zölibat bedingen sich ethisch.“

[3]) Migne, Patr. Lat. 14, 1059.

[4]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 2 p. 130.

[5]) Migne, Patr. Lat. 16, 254.

tinianus imperator summa erga eum aestimatione incensus vitae sanctitatem adeo in eo admirabatur, ut eum tamquam Deum venerandum sibi iudicaret. De obitu enim Valentiniani n. 79 S. Ambrosius amicissimi defuncti desiderio captus exclamat: „Hei mihi vana spes in homine! sed tu in sacerdote Dominum requirebas[1].“ Ipse supremum vitae diem agens, a sacerdotibus[2] et a „nobilibus viris illius civitatis“ circumdatus, se maculae nec minimae sibi conscium confisus exclamavit: „Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere[3].“

Permulta alia praecepta, quae ad zelum in rebus divinis colendum, ad vitam solitariam, a plebis consortio segregatam agendam, ad „haud mediocrem virtutem“ appetendam spectant, S. Episcopus clericis tradidit, quae vero accuratius investigare non nostrum nunc esse putamus, cum magis ad mores sacerdotum informandos quam ad sacrificii eucharistici explanationem pertineant[4]. Magis nostra interest novisse quid de ministro S. Eucharistiae conficiendae necnon distribuendae senserit?

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 1384.

[2]) Cf. Baunard, l. c. p. 35: „Ambroise réunit autour de lui ses clercs, formant ce qu'on appellait le Presbyterium. Il vivait avec eux de cette vie commune dont Jésus-Christ lui-même avait donné l'exemple, et que l'évêque comme l'honneur du sacordoce, sa sauvegarde sa puissance, sa joie, sa liberté.“

[3]) Vita S. Ambrosii a Paulino conscripta, n. 45, Migne, Patr. Lat. 14, 42 sq. Adi Mgr. Chardon, L'Ange et le prêtre (Paris 1899) p. 178, ubi auctor S. Praesulem laudat: „L'Ange revêtu d'un corps,“ necnon p. 40, ubi quae Epist. 63 n. 65 et lib. 2 De paenitentia c. 8 n. 72. 73 novimus scil. eum munus episcopale sibi oblatum primo renuisse, his confirmat verbis: „Dans la sainte Église, a-t-on vu les prêtres les plus éminents, ceux qui ont été les vrais Anges de la terre et sont restés les modèles immortels des pasteurs . . . les Ambroise, aspirer à un poste et chercher à y parvenir? Dans leur humilité, ils se sont regardés comme indignes de toute élevation; ils ont voulu s'y soustraire et n'ont cédé qu'à la volonté de Dieu devenue évidente.“

[4]) Quod ad libros De officiis, ubi summa eorum, quae imprimis sacerdotibus observanda tradidit S. Episcopus, invenitur, consule Baunard, l. c. p. 504. Adi etiam Pruner, l. c. p. 25 sqq. usque ad finem diligentissime exarati operis, ubi non modo e libris De officiis, sed etiam ex omnibus S. Ambrosii operibus collectas concinneque digestas virtutes invenies.

Quaeritur an praeter sacerdotes, quos S. Eucharistiae et conficiendae et fidelibus distribuendae ministros certe iudicavit, id quod in opusculo nostro ex permultis locis elucet, etiam diaconis huiusmodi facultatem concesserit. Equidem lib. 1 De officiis c. 41 n. 204 haec habet: „Quo progrederis sine filio, pater; quo sacerdos sancte sine diacono properas tuo? Numquid sacrificium sine ministro offerre consueveras? Quid in me ergo displicuit, pater? Num degenerum probasti? Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas[1])?" Ita S. Laurentius diaconus, ut hoc loco narrat auctor noster, S. Xystum papam allocutus est. Quid iure colligendum? Imprimis apparet S. Diaconum papae quodammodo opprobrio dedisse, quod qui „Dominici sanguinis consecrationem" toties sibi commisisset, is morte appropinquante ipsum cum illo supplicium subire non sineret. Diaconum a S. Ambrosio „ministrum altaris" iudicatum esse constat ex eius libro De virginitate c. 18 n. 119, ubi S. Stephanus Martyr, a Deo vocatus diaconus, his celebratur verbis: „In hac navi piscatur Petrus: et nunc retibus, nunc hamo piscari iubetur. Grande mysterium! Spiritalis enim videtur esse piscatio, qua doctrinae hamum mittere iubetur in saeculum; ut primum illum martyrem Stephanum de mari elevet, qui censum Christi in interioribus contineret; martyr enim Christi thesaurus Ecclesiae. Martyr igitur ille, qui de mari ad caelum primus ascendit, captus a Petro minister altaris, non reti sed hamo levatur[2])." Electus igitur a Deo censetur diaconus. Nihilominus negamus superiori loco, ubi „sanguinis consecrationem" S. Laurentius sibi vindicare videtur, de consecratione proprie dicta sermonem esse. Etenim effata S. Ambrosii, in quibus soli sacerdotes consecrare posse dicuntur, tam dilucida et frequentia sunt, ut iusto dubio hac de re praebeant locum nullum. Ex altera tamen parte non est cur certam quandam „concelebrationem", quam dicunt, diaconis adiudicatam ibi esse negemus. Ea nimirum in nihilo alio consistit nisi in quadam cooperatione seu assistentia, dum

---

[1]) Migne, Patr. Lat. 16, 84. [2]) Ibid. 16, 297.

sacrificium offertur. Quodsi res ita concipitur, diaconi quodam iure consecrasse iudicari possunt. Aliam solutionem difficultatis praebent in adnotatione Editores Benedictini[1]) monendo S. Eucharistiae distributionem ibi indicatam esse, partim prementes verbum „commisisti“, quo „aliquid iam perfectum“ significetur, partim advertentes ad „ad consummandorum consortium sacramentorum“, quibus officium proprium diaconorum sanctam Communionem populo administrandi probetur. Tamen nos putamus S. Antistitem, si huiusmodi sententiam tueri intendisset, voce „consecrationis“, quam toties panis et vini in corpus et sanguinem Christi conversionem a sacerdote ope verborum institutionis perficiendam intellegeret, non usurum fuisse[2]). Ceterum haud diffitemur eum diaconis potestatem S. Eucharistiae distribuendae sine ulla dubitatione concessisse, sin aliter honestissima illa denominatio „ministri altaris“ vox prorsus inanis censenda esset, cum S. Communio certe ad altare distribueretur.

Ex dictis liquet S. Ambrosium, quotiescumque de sacerdotibus verba faceret, eorum munus sacrificandi imprimis prae oculis habuisse et hoc iis solis competere haud ambigue comprobasse. Apparet insimul eum sacrificii a sacerdotibus non adeo valide quam potius licite offerendi in scriptis suis rationem habuisse,

---

1) Migne, Patr. Lat. 16, 83 nota d.

2) Quod ad laudatam „concelebrationem“ spectat, consule Oswald, l. c., p. 605: „Wenn zu Anfang des 4. Jahrhunderts einige Partikularsynoden die Vollmacht zu opfern den Diakonen beizulegen scheinen, so ist das jedenfalls von Hilfe leistender Assistenz bei feierlicher Darbringung des Opfers, welche allerdings wohl als eine Art von Mitopferung aufgefaßt werden konnte, zu verstehen“. Aliter Binterim, l. c., vol. IV pars 3 p. 481 rem intellexit; affirmat enim „consecrationem“ ibi concipiendam esse idem ac „consecrationem“ eo fere sensu quo calix vel aqua vel diaconus vel abbatissa consecrari dicentur. Ait enim: „In unserm vorgesetzten Falle heißt also consecrare so viel als consacrare, den Wein heilig machen durch das eingegossene hl. Blut. Die Worte, deren der hl. Ambrosius gleich darauf sich bedient, cui consummandorum consortium sacramentorum etc. begründen noch ferner unsre Ansicht. Durch die Vermischung oder consecratio wurde im wahren Sinne das den Gläubigen zu reichende Sakrament vollbracht. Denn dieser Akt des Archidiakons war der letzte Teil, mithin eine wahre consummatio“. Hanc explicationem, quam multis novam atque inconsuetam videri dicit, in Ordine Romano comprobatam esse censet.

quamobrem satis habuit, ea officia, quae ad S. Eucharistiam digne administrandam spectant, inquirere atque explanare.

Confectum est igitur, quod probandum ab initio suscepimus. Attulimus omnes fere locos per scripta S. Episcopi hac illacque dispersos, ut quid de vera Jesu Christi in S. Eucharistia praesentia, de cibo eucharistico, de Missae sacrificio sentiret demonstraremus. Singula momenta investigantes vidimus eum magna cum diligentia in elementorum conversionem inquisivisse neophytorum obiectionum ratione habita, eum cibi eucharistici praestantiam comparatione cum manna Antiquae Legis instituta expressisse, eum Melchisedechum, regem Salem, excellentissimum Iesu Christi typum laudavisse. Propter haec argumenta, quae proprii arbitrii atque iudicii insigne dant testimonium, effatis eius tanta inest auctoritas, ut optimo iure S. Eucharistiae gravis testis censendus sit. Quod vero ad modum stilumque eloquendi attinet, laudibus quibus Editores Benedictini[1]) S. Praesulem celebrant, tantummodo parce assentiri possumus, nec minus alieni sumus a sententia clarissimi Liebermann[2]), qui eum tam dilucida verba de SS. Sacramento fecisse existimat, ut ne scholastici quidem theologi accuratius disputare valuerint. Verum quidem est eum, praesertim cum neophytos instrueret quam maxime perspicue efferendi, quae in mente habuisset, studiosissimum fuisse. Nihilominus invenimus etiam dicta, quae cum primo saltem intuitu ambigua esse viderentur separata paragrapho (c. 1 § 3) seorsim tractanda opinati sumus, quae tamen cum innumeris aliis dilucidis collata facili negotio explicantur. Ceterum nec contextus levi animo neglegendus est, quippe qui materiae persaepe haud exiguam lucem affundat. Qui e. gr. in Expos. Evang. sec. Luc. c. 6 n. 63 simpliciter legerit: „Panis enim caelestis est dei verbum“[3]), fortasse dubitabit an de S. Eucharistia ibi agatur; quodsi vero post nonnulla interiecta n. 69 invenerit:

[1]) Praefatio: „Et hinc abunde intellegas ab omni obscuritate Ambrosianum stylum per se abhorrere“. Quibus verbis Editores Benedictini praemittunt laudes, quibus „forensem eloquentiam“, „sublimitatem“, „ubertatem“, „brevitatem periodi concinnam ac modulatam“ iuste ac congrue praedicant. Migne, Patr. Lat. 14, 22.

[2]) l. c. p. 473.

[3]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 4 p. 257.

„Et cum ipsis loquitur dei verbum non de saecularibus, sed de regno caelorum“ [1]), facile apparebit loco priore certe de Incarnato Verbo sermonem institutum esse. Utut res se habet, id certo constat eum in scriptis suis eam professum esse fidem, quae tum temporis in Ecclesia de S. Eucharistia vigeret, quod haud scimus an nullo fortiore testimonio comprobetur quam hominis lutherani, celeberrimi philosophi Leibnitz, qui nullo praeiudicio praeoccupatus et transsubstantiationem et permanentiam S. Eucharistiae praesertim ex S. Ambrosio sibi visus est demonstrasse: „Porro certum est“, inquit, „antiquitatem tradidisse ipsa Consecratione fieri conversionem, quemadmodum apparet ex verbis Ambrosii paulo ante allatis [2]), neque umquam veteribus auditum est novum quorundam dogma, quod in momento perceptionis demum adsit corpus Christi [3]).“

[1]) Ed. C. Schenkl, l. c. vol. 32, 4 p. 261.

[2]) Agitur de lib. 4 De sacram. c. 4 n. 15: „. . . quanto magis operatorius est sermo Christi, ut sint quae erant, et in aliud commutentur.“

[3]) W. G. Leibnitz' Theologisches System (Übertragung aus dem Latein. ins Deutsche von Carl Haas) Tübingen 1860, p. 131. Uterque textus iuxta positus est.

Vita.

Natus sum Stanislaus Lisiecki, fidei addictus catholicae, in urbe Posnania die 7. m. Novembris a. 1872, patre Theophilo, quem vita defunctum doleo, et matre Emilia e gente Łęcka.

Litterarum elementis imbutus gymnasium regium ad S. Mariam Magdalenam Posnaniense frequentavi ibique a. 1896 maturitatis testimonium adeptus sum. Ineunte semestri aestivo eiusdem anni in seminarium archiepiscopale clericorum Posnaniense transii, ubi per triennium philosophiae ac theologiae vacabam. Cursu practico Gnesnae absoluto die 12. m. Novembris a. 1899 ad presbyteratus ordinem promotus sum. Tres priores annos in pago Polajewo, quattuor posteriores in oppido Wielichowo capellani munere functus sum; duos postremos in pago Wilhelmshorst parochiae praefui.

Tandem vere anni 1909 permissu Rev^{mi} et Ill^{mi} Episcopi Eduardi Likowski, qui gloriosissime nunc administrat archidioecesim Posnaniensem, almam litterarum Universitatem Vratislaviensem adii, ut denuo studiis imprimis theologicis incumberem. Per duo semestria theologiae studiosus praelectionibus interfui D. D. Professorum: *Koenig, Laemmer, Nikel, Nürnberger †, Pohle, Renz, Sdralek, Sickenberger;* philosophiae vero deditus audivi docentes D. D. Professores: *Baumgartner, Kampers, Wolf.* Quibus omnibus viris clarissimis et doctissimis optime de me meritis quas debeo gratias sincero refero animo. Examen rigorosum pro doctoratu die 24. m. Maii a. 1910 habitum est.

Dissertationem meam elaboravi auctore D^{no} Josepho Pohle, qui cum in hoc opusculo excolendo multam consumpserit operam ad maximas me obligavit gratias, quas ei ea qua par est observantia publice hic ago, cuiusque imprimis memoriam semper colam animo gratissimo.